DE LYCIORUM COMMUNI

(ΛΥΚΙΩΝ ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ)

THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

GUSTAVUS FOUGÈRES

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS,
NUPER ATHENIS IN GALLICA SCHOLA SOCIUS,
NUNC VICE PROFESSORIS IN UNIVERSITATE INSULENSI ANTIQUITATES
ARTISQUE HISTORIAM DOCENS.

« S'il fallait donner un modèle d'une belle république fédérative, je prendrais la république de Lycie ».

MONTESQUIEU. *Esprit des Lois*, IX, 3.

LUTETIAE PARISIORUM

EDEBAT A. FONTEMOING, BIBLIOPOLA

4, VIAE QUAE DICITUR LE GOFF, 4

M DCCC XCVIII

DE LYCIORUM COMMUNI

(Λυκίων τὸ κοινόν).

DE LYCIORUM COMMUNI

(ΛΥΚΙΩΝ ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ)

THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

GUSTAVUS FOUGÈRES

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS,
NUPER ATHENIS IN GALLICA SCHOLA SOCIUS,
NUNC VICE PROFESSORIS IN UNIVERSITATE INSULENSI ANTIQUITATES
ARTISQUE HISTORIAM DOCENS.

« S'il fallait donner un modèle d'une belle république fédérative, je prendrais la république de Lycie ».

MONTESQUIEU. *Esprit des Lois*, IX, 3.

LUTETIAE PARISIORUM
EDEBAT A. FONTEMOING, BIBLIOPOLA
4, VIAE QUAE DICITUR LE GOFF, 4

M DCCC XCVIII

HUJUS OPERIS SUASORI

DOCTISSIMO VIRO P. GUIRAUD

D. D. D.

Librorum, unde plurima deprompsi, siglorumque, quibus breviter hic designantur, catalogus.

1833. MIONNET. *Description de médailles antiques grecques et rom.* III, p. 435 sqq. — Supplém. VII, p. 8 sq.

1853. CORPUS INSCRIPTIONUM GRAECARUM, t. III, éd. Franz. = *CIG.*

1851. KONER. *Beiträge zür Münzkunde Lykiens.* (PINDER UND FRIEDLÄNDER. *Beiträge zür älteren Münzkunde.* I. p. 93-112).

1853. WADDINGTON. *Voyage en Asie-Mineure au point de vue numismatique. Lycie.* (*Revue numismatique*, XVIII, p. 85-98).

1855. FELLOWS. *Coins of ancient Lycia.*

1872. MARQUARDT. *De provinciarum romanarum conciliis et sacerdotibus.* (*Ephemeris epigraphica*, t. I, p. 201.)

1876. LEBAS-WADDINGTON. *Inscriptions grecques et latines recueillies en Grèce et en Asie-Mineure*, partie V, sections IX et X, p. 301 sqq. = Wad.

(Dissertatio de romanis Lyciae-Pamphyliae rectoribus,a Waddington haud semel nuntiata, nunquam edita est.)

1877. FORBIGER. *Handbuch der alten Geographie*, II, p. 248 sqq.

1878. LENORMANT. *La monnaie dans l'antiquité,* II, p. 73 sqq.

1884. BENNDORF UND NIEMANN. *Reisen in Lykien und Karien,* = *Reisen.* I.

1886. TREUBER. *Beiträge zur Geschichte der Lykier.* Tübingen, progr. n° 546.

1886-1887. SIX. *Monnaies lyciennes.* (*Revue numismatique*, t. IV, p. 101-116, 141-192, 423-438; — t. V, p. 1-25.)

1887. TREUBER. *Geschichte der Lykier.* Stuttgard, 247 p. in-8°.

1887. PAUL GUIRAUD. *Les assemblées provinciales dans l'empire romain.* = Guiraud. *Ass. prov.*

1887. TH. MOMMSEN. *Mithradates Philopator Philadelphos.* (*Zeitschrift für Nümismatik*, t. XV, p. 211-213.)

1888. TREUBER. *Beiträge zur Geschichte der Lykier.* Zweiter Theil. Tübingen. Progr. n° 553.

1889. PETERSEN UND VON LUSCHAN. *Reisen in Lykien, Milyas u. Kibyratis.* = *Reisen* II.

1890. Ramsay. *Historical geography of Asia Minor*, p. 95, 252, 415, 426.

1890. Beurlier. *Essai sur le culte rendu aux empereurs romains.*

1891. Kiepert. *Specialkarte vom Westlichen Kleinasien.*

1891. Büchener. *Ueber die Lykiarchen.* (*Philologus*, t. LI, p. 750-758.)

1892. *Anzeiger der Kaiserlich. Akademie der Wissenschaften in Wien.* Philosophisch-historische Classe. Nr XVII-XVIII, p. 59. Sitzung vom 20 Juli : Benndorf, berichtet über eine Reise im Orient. (Titulos formamque geographicam continet).

1893. Kalinka. *Auszüge aus den Lykischen Bundes-protokollen* (*Eranos Vindobonensis*, p. 83-92). = *Eran. Vind.*

1893. Lanckoronski. *Les villes de la Pamphylie et de la Pisidie.*

1893. Babelon. *Catalogue des monnaies du Cabinet des médailles.* Les Perses achéménides.

1894. Kiepert. *Formae orbis antiqui*, tab. IV, Asia provincia.

1895. Hill. *The coinage of Lycia, to the time of Alexander the Great.* (*Numismatic chronicle*, XV, p. 1-44.)

1895 Ramsay. *The cities and Bishoprics of Phrygia.* Vol. I, part. I.

1896. Heberdey u. Kalinka. *Eine neue Ehrenliste aus Lykien.* (*Serta Harteliana.* Wien., p. 1-7.) = *Sert. Hartel.*

1896. Heberdey u. Ernst Kalinka. *Bericht über zwei Reisen in Sudwestlichen Kleinasien.* (*Denkschriften der Kais. Akademie der Wissenschaften in Wien.* Philosophisch-historische Classe. Band XLV, p. 1-56.) = *Bericht.*

1897. Rudolf Heberdey. *Opramoas. Inschriften vom Heroon zu Rhodiapolis.* (*Im Auftrage der kleinasiatischen Commission der K. Academie der Wissenschaften*). Wien. (In hoc fasciculo, cujus folia nondum absolute correcta Rudolfus Heberdey mihi liberaliter communicavit, celeberrimum rhodiapolensem de Opramoae honoribus titulum novis fragmentis nunc auctum invenies). = *Opr.*

1898. Babelon. *Inventaire sommaire de la Collection Waddington.* p. 166 sqq.

Bulletin de correspondance hellénique. = *B C H.*

Journal of hellenic Studies. = *J H S.*

Archaeologische, epigraphische Mitheilungen aus Oesterreich-Ungarn = *Oest. Mith.*

Mitheilungen des Kaiserlich. archaeolog. Instituts: Athenische Abtheilung. = *Ath. Mith.*

Revue de philologie. = *Rev. philol.*

PROOEMIUM

De Lyciorum Communi nemo adhuc singillatim tractavit. Nonnulli quidem docti viri de hoc Concilio obiter vel summatim scripserunt, sed eos multa nova latuere quae ex titulorum nuperrime repertorum copia expromere nunc licet. Quum enim paucissima de hac re antiqui scriptores tradiderint, uberrimam contra materiem in medium protulere inscripti lapides. Quorum pars haud contemnenda, post primos hujusce ineuntis saeculi viatores, a Gallis edita est. Ipse, cum sodali Victore Bérard, autumno anni 1888, quasdam Lyciae partes et quosdam finitimos Pisidiae saltus indagavi, titulosque ruderibus effossos exscripsi (1). Opimior vero messis ab austriacis exploratoribus per hoc recens duodecennium deprompta est. Qui quidem singula Lyciae juga, singulos vicos haud semel frequentavere, itineraque nondum europeensi vestigio calcata aperuere. De locupleti libro, cui titulus inscribitur : *Reisen in Lykien und Karien*, nil amplius memorare opus est, nisi quod ex inopibus nos subito ditissimos effecerit. Post autem annum 1889, quo alter ejus operis tomus editus est, doctissimi viri Benndorf, Kalinka et Hula stipendia per Lyciam anno 1891 iterum fecerunt ; abhinc, annis 1894 et 1895, Rudolfus Heberdey una cum Kalinka, denique, autumno 1896, solus secum, rursus eamdem

(1) *Bull. de Corr. hellén*, XIV, p. 162-176. — XV, p. 538-562. — XVI, p. 417-446.

provinciam trivit. Quorum inventis effectum est ut geographica forma, a Kiepert anno 1891 delineata, extemplo senuerit.

Tanta vero ineditorum titulorum moles crevit ut, quum anno 1890 septingenti fere ex Lycia innotuerint, hodie duo millia nobis occurrant. Quanquam autem cuncti nondum in lucem processerunt, plures tamen, iique maximi momenti, a diligentissimis repertoribus hic illic typis mandati sunt (1). Mihi quidem hujusce libelli adoriendi propositum confesso novaque auxilia desideranti, eximia liberalitate ingenui viri, Benndorf Rudolfusque Heberdey thesauros suos patefacere instituerunt. Quum autem Vindobonem adeundi facultas mihi non daretur, Rudolfus Heberdey locorum a se repertorum per litteras certiorem me factum voluit, praecipuaque insuper rhodiapolensis tituli fragmenta, quae ipse effosserat, prius mihi communicavit quam palam fierent. Cui porro libente animo gratias agere pro dulci officio habeo.

Equidem, libellum hunc adortus, nihil aliud sum persecutus nisi ut communia Lyciorum instituta quam accuratissime describerem. Municipalia autem atque agonistica, variosque Lyciae-Pamphyliae provinciae casus (quum modo imperatorio legato pro praetore, modo senatorio proconsuli paruerit) enarrare, a meo proposito alienum profiteor.

(1) Ceteri in prima *Corporis inscriptionum Asiae minoris* parte, quam vindobonensis Academia anno 1898 edendam enixe curat, colligentur.

PARS PRIOR

DE PUBLICIS LYCIORUM REBUS ANTEQUAM LYCIA ROMANA PROVINCIA FACTA EST

(a primordiis ad annum Christi 43).

CAPUT I

De lycii Communis primordiis.

Lycios, quos ex Iliade (1) Trojanorum inter ordines dimicantes comperimus, amicitia simul et quadam sanguinis affinitate cum Dardanis conjunctos, non committendum est ut pro universis totius Lyciae incolis habeas. Nondum enim in unum convenerant variae illae gentes, quae diversas ejus regionis partes obtinebant ex qua postea Lycia tota conflata est.

Homero auctore, in Xanthii fluminis valle quasi in incunabulis primam lyciae civitatis infantiam increvisse liquet. Ibi, in Λυκίῃ εὐρείῃ, Sarpedo Glaucusque regni sedem habuere. Quorum potestas etiam finitimos duces in suam ditionem seu armis seu metu ita redigere valuit, ne Λυκίων ἡγήτορες ἄνδρες xanthiis regibus auxilia unquam abnuerent (2). Nonnullae autem gentes eorum imperium effugiebant, inter quas Solymi Milyaeque indomita indole diu eminuere.

Peracta vero homerica aetate, exstinctisque heroibus, plurimi singulis in urbibus tyranni evaluere quos *dynastas* histo-

(1) Iliad. II, 876. — V. 479. — VI, 171-199.
(2) Iliad. XII, 376. — XVI, 495-532.

rici scriptores vocant. Intra septimum ante C. n. saeculum Alexandrique Magni mortem, inter plures hujus modi principes divisa Lycia videtur, quorum nomina effigiesque prisci nummi nobis praebent, quorum bella seu venationes sepulchralibus anaglyphis finguntur. Verisimile tamen est illum, qui Xanthi regnabat, ceteris semper praestitisse, atque in id enixe operam dedisse ut totas Lyciae partes sui juris faceret (1). Minime porro mirum si plures foedere quodam inter se nexos dynastas ex nummis discas, seu communi potentioris metu conjunctos, seu potentiori, clientium more, subjectos eos fuisse existimes. Adde et communem eorumdem deorum cultum, communiaque sacra, in quae celebranda ex tota Lycia universi Lycii convenire jam inde antiquitus solebant.

Ut enim xanthius princeps ceteris principibus, sic xanthii dei ceteris deis praestabant. Latonam quidem, Apollinem Artemidinque peculiari reverentia Lycius quisque colebat, Letoumque quod prope Xanthum situm erat, per festos dies solemniaque certa frequentabat (2). Unde effectum est ut illud divinarum rerum consortium quibusdam signis effingeretur : etenim, si veteres urbium dynastarumve nummos inspicias, easdem formas argento vel aere caelatas miraberis, scilicet pecus feramve, ursam, vaccam vel equum Pegasum, vel saepius illud quod nummorum compertiores *triquetrum* aut *triscelum* vocant. Nemo est autem qui dubitet quin hujuscemodi simulacro Phoebi orbis, alis praeditus, id est Apollinis Lycii imago (3), signifi-

(1) Colonias Artymnessum Pinaramque Xanthii condidere. (Et. Byz. *sv.*)

(2) Prytanes urbium Tlos, Sidymae, Pinarae, Kalabatiae in Letoo sacrorum una participes indicantur (*Reisen*. I, 53.).

(3) De quo vide Goblet d'Alviella : *La migration des symboles*, p. 71-72. Graviter autem erravit Lenormant (*Monnaie dans l'ant.* II, p. 74) quum ternis triquetri cruribus ternos lyciae gentis ramos, scilicet Caunios, Trojanos Tremilosque significari contenderit. Caunii enim carica stirpe oriundi videntur. Quinto autem ante C. n. saeculo, Trojani Lyciique alii aliunde distracti, quasi alieni vivebant. Adde quod non modo semper terna, sed nunc bina, nunc quaterna crura saepe triquetro affixa videas.

cetur. Ex quo potest probabiliter effici ut, quinto ante C. n. saeculo, societatem quamdam inter se praecipuae lyciae gentes habuerint, non ita quidem ut civitas una vel politicum Commune, sed sacrum quoddam conciliabulum, graecorum amphictyoniarum more, exstiterit. Si, in catalogis populorum quibus tributa Atheniensium reipublicae, prioris attici foederis temporibus, praestanda erant, Λύκιοι καὶ συντελεῖς inscribuntur (1), intelligendum est de xanthio dynasta cum subjectis sociisque suis agi, nec non de nonnullis aliis liberis civitatibus aliisque dynastis, qui ad pecuniam conferendam minores inter se societates (συντελείας) constituerant.

Utcumque res se habuit, dum in Lycia dynastae florebant, nulla spes erat a Lyciis rem publicam communiter instaurari. Nulla enim dynastis alia cura, nisi proprium agrum bellis obsidionibusque augere alienamque dominationem, tam Atheniensium quam Persarum, eludere. Neque infausta fortuna rem prosecuti sunt. Quippe Lyciis, quinto quartoque ante C. n. saeculis, mollius externi domini leges pati contigit. Immunem enim revera, tametsi satrapae primae provinciae a Dario I subjecta Lycia erat, regem Korrim, Harpagi filium, xanthius lapis nobis testatur (2) : item de Pericle rege, qui anno 372 Telmessum occupavit, Theopompus nos certiores fecit (3). Ii quidem, quum patrimonia sua paulatim augerent, non mediocri opera contenderunt ut in unum lyciae gentes cogerentur, internis finibus in diem sublatis. Inde autem liberum totius Lyciae Commune tum demum oriri potuit, quum, ejecto tyrannorum

(1) *C I A*. I. *Indic.*, p. 232, 233. — Anno 446, decem talenta solvunt. Nominatim referuntur Krya (drachmarum duo millia, 454-440), Klaunda (unum talentum 446-440), Phaselis (sex talenta, 454-451; tria talenta, 450-440; sex talenta, 439-426). Τελεμήσσεις autem non ad lyciam, ut perperam Treuber censuit (*Gesch. der Lyk.*, p. 103, n. 1), sed ad homonymam caricam urbem pertinent.

(2) Desinente prope quinto saeculo vixit. (Imbert. *Rev. des Ét. gr.*, 1894, p. 267. — *Six. Rev. Num.* 1886. IV, p. 176. — Babelon, *Catal.*, n° 501, 513).

(3) Theop. *fragm.* 111.

jugo, singulae urbes in rebus suis ordinandis sui juris arbitriique sibi consciae evasere.

Quin libertatem, instituta graeca ingenuasque disciplinas, ut ceteris Asianis, tum praecipue Lyciis, Alexander Magnus attulerit, nemo est qui infitias eat. Detrusis enim ubique tyrannis (1), in auctoritatem Nearchi praesidis Lycia tota defluxit. Abhinc novus rerum ordo natus est. Urbes enim maritimae, ut Patara, Myra Telmessusque, mercatura gliscente, primum locum obtinere incipiunt. Vetera autem dynastarum oppida, scilicet Xanthus, Tlos ceteraque, in mediterraneo sita, augeri desita sunt. Quantam illa aetate invidiam Lyciae opes finitimis elicerint cito intelligat, qui mirabiles Massicyti Olympique lycii silvas respexerit, quae seu mari seu fluviis ita imminent ut eximia facilitate in oram lignea materies deducatur (2). Adde et pabulis uberrimas planities optimosque pecori alendo montes. Itaque Rhodii, quorum maritima potestas anno abhinc 448 (3) jam Phoenices Athenienses que detruserat, Lyciam valde appetebant, ut navalibus suis materiem, classicis aquationes, pecudibus pabula ministrarent. Ceterum cunctos insulanos populos, siquidem maritimo imperio student, eadem necessitudo urget ut alteram freti sui ripam obtineant, ne transitus alieni juris fiat (4). Iis igitur causis impulsi, jamdudum Rhodii Lyciam occupandam moliti erant, nonnullasque colonias ibi condiderant (5). Quo periculo instante, Lycii totis viribus pro libertate luctari atque, omissis inter se jurgiis,

(1) Arrian. *Anab.* I, 24, 5. — Polyain. V. 35.

(2) De Lyciae sylvis, vide Plin. *H. N.* XII, 9. — XIII, 52. — XVI, 137. Nostris quoque temporibus plurima materiae lignorumque copia e lyciacis portubus in insulas Aegyptumque effertur, praecipue Telmesso (Macri), Olympo (Tchirali). (*Reisen.* I. p. 127. — II, p. 139).

(3) Quo in novam urbem Rhodum synoecismo Ialysus, Kamirus Lindusque coactae sunt (Diod. XIII, 38, 45. — Strab. 655).

(4) Contra Rhodum Lorymam, Cariae oppidum, Rhodii tenebant.

(5) Treuber. *Gesch. der Lykier*, p. 89.

mutuum sibimet ipsis auxilium praestare instituerunt, dum arma subsidiaque in medium conferrent. Qui oppida a mari recedentia agrestesque pagos habitabant, maritimis urbibus suppetias eundum intellexere, ne hostium classibus apertus pelagus pateret, neve ipsi, commeatu sublato, mediis in opibus egentes remanerent. Maritimae contra urbes militiam ligneamque materiem ab interioribus pagis sibi vindicabant. Itaque e communi utilitate foedus ortum est, quod utrisque expediret. Jam ubique solidae inter graecas urbes societates instaurari coeptae erant, quo melius adversus potentiores valerent. Eo igitur exemplo pulsi, Lycii, qui in diem graeco ingenio libentius indulgere soliti erant, in unam civitatem convenire decreverunt.

Quo tempore res peracta sit minime accurate historici scriptores nobis retulerunt. Equidem intra annos 276 et 204 lycium Commune natum censeo (1). Per hoc enim temporis spatium sub Ptolemaeorum ditione Lycia vixit, qui eam a Seleuco receperant (2). Qua begnignitate erga Lycios usi sint telmessius titulus, a nobis repertus, nos docet (3). Etenim Ptolemaeus quidam, Lysimachi filius, qui urbem Telmessum nomine regis Ptolemaei III Evergetae tanquam praefectus gubernandam, anno circiter 240, capesserat, incolas ἐλευθερίᾳ et πολιτείᾳ frui passus est, quin etiam vectigalia quaedam eis remisit. Haud dubie, faventibus benevolis peritisque dominis, lyciae urbes libertate usae sunt ut sibi instituta, more graeco, donarent. Ceterum, Ptolemaeorum magni intererat ne subjectos

(1) Item Treuber. *Gesch. der Lyk.*, p. 149. — Droysen (*Hist. de l'hellénisme*, trad. Bouché-Leclercq, I, p 221 et 232) nimiam antiquitatem de Strabone (XIV, 3, 2, 3), deduxit.

(2) Theocrit. XVII, 89. — Monumentum adulitanum. *C I G*, 4677 et 5127. — Strab. XIV, 3, 6. — *B C H*, 1890, XIV, p. 162. — 1891, XV, n° 38. — *J H S*, 1889, IX, p. 88. — *Bericht*, p. 19, 1.

(3) *B C H*, 1890, XIV, p. 162. — Ptolemaei Evergetae nepotem hunc Ptolemaeum agnovit Wilhelm. *Götting. gelehrte Anzeig.* 1898, p. 209.

vexarent quorum studio navibusque maxime sibi opus erat. Nam Lycia ita natura posita est ut eis efficaciter auxiliaretur in bellis Aegyptiorum adversus Rhodios syriosque reges. Reipsa Lycii Ptolemaeorum erga se benevolentiam perenni amore remunerati sunt, eosque semper patronos, non tyrannos, habuere. Qui gratus subjectorum animus fiduciam domini ita alebat ut validiores eos ipse, proprii commodi causa, optaret. Mutuo igitur, ut opinor, consensu lycium Commune adolevit. Unde majus contra adversarios suos Ptolemaei, Lycii autem secundius propriae securitatis, turbidis illis temporibus, firmamentum quaesiverunt. Quin hoc anno circiter 204, quo Ptolemaeus IV decessit, jam peractum fuerit haud dubium est, quum abhinc Lycios semper communiter egisse seu ex historiarum scriptoribus seu ex titulis nummisque constet (1).

(1) Titulos vide supra (p. 15, n. 2) commemoratos. (Cf. Polyb. XXIII, 3. — 31, 7, 4. — 25, 5, 13). — Lyciorum res variasque fortunas enarrare a proposito meo alienum est. De quibus scripserunt Treuber. *Gesch. der Lykier*. p. 150. sqq. — Holm. *Griech. Geschichte*. IV, p. 453. Equidem praecipua facta breviter collegi in tabula A, ad finem hujusce libri.

CAPUT II

De lycii Communis sub Romanorum patrocinio conditione.

(INTRA ANNOS 169 A. C. N. ET 43 C.)

Anno 169, senatus romanus libertatem Caribus Lyciisque, a Rhodiis oppressis, restituit (1). Ubi Rhodiis Lycia adempta est, Lyciis licuit ut patria instituta, jamjam regentibus Ptolemaeis instaurata, emendarent ac perficerent, rempublicamque suam, Romanorum fide tutelaque, ita adornarent ut tanquam exemplum rectae civitatis ab antiquis nec non a recentioribus haberetur (2).

Qua autem conditione, post anni 169 senatus consultum, Lycii libertatem acceperint, ad liquidum perducere doctissimis viris nondum contigit (3). Equidem probabile habeo intra annos 169-81 ante C. n. *civitatis foederatae*, forsan sine foedere sortem Lyciis tributam esse, id est eos sui juris vixisse, conservata pecuniae feriendae facultate, adjecta autem stipendii solvendi, militiae classisque praestandarum, quando a Romanis

(1) Vide ad finem tabulam A.

(2) Strab. XIV, 3, 3. — Montesquieu. *Esprit des lois*, IX, c. 3 : « S'il fallait donner un modèle d'une belle république fédérative, je prendrais la république de Lycie. » — Cf. Sainte-Croix, *Anc. gouv. fédératifs*, p. 226. — Repertae sunt in schedis Washingtonii nonnullae de Lyciorum civitate notulae, quas sane ex Montesquieu deprompserat. Similia quaedam in Lyciorum atque in Americanorum institutis tibi occurant.

(3) Vide Mommsen *CIL*. I. 589. — Treuber. *Gesch. der Lykier*, p. 167. — *Beiträge*, II, p. 46.

rogabantur, necessitudine. Post autem bellum Mithridaticum, quo Lycii de Romanis tam bene meriti sunt, anno 81 a Sulla in novam *liberae amicae sociaeque civitatis* conditionem recepti sunt, ut ex Appiano constat : ἐλευθέρους ἠφίει καὶ Ῥωμαίων ἀνέγραφε φίλους (1).

Quantas propter recuperatam libertatem gratias Lyciorum Commune Romanis egerit nonnulli tituli testantur. Quorum primus, jamdudum e Capitolio effossus (2), his ferme verbis latinis graecisque incisus erat :

Ab Co]muni restitutei in maiorum leiber[tatem Lucei] Roma[m] Jovei Capitolino et poplo Romano v[irtutis], benivolentiae beneficique causa erga Lucios ab Comuni. Λυκίων τὸ κοινὸν κομισάμενον τὴν πάτριον δημοκρατίαν (3) τὴν Ῥώμην Διὶ Καπετωλίῳ καὶ τῷ δήμῳ Ῥωμαίων, ἀρέτης ἕνεκεν καὶ εὐνοίας καὶ εὐεργεσίας τῆς εἰς τὸ κοινὸν τῶν Λυκίων.

Illam Romae statuam post annum 169 a Lyciis dedicatam existimo. Alter autem titulus, ibidem repertus (4), sic mihi restituendus videtur :

Lucii in Comuni populum R]omanum cognatum, amicum, sociu[m].

Virtutis causa, benivolenti]aei, beneficique erga Lucios in Comu[ni.

Hunc titulum, lycii Concilii nomine incisum, ad annum circiter 81, scilicet ad sullanum decretum referendum puto. Cognati autem populo romano Lycii dicuntur, pristinae cum Trojanis propinquitatis memoria.

(1) Appian. *Mithr.* 61.

(2) *CIG*, 5880. — *CIL*, I, 589; VI, 372. — *Zeitschrift für Nümism.* XV, p. 212.

(3) Δημοκρατίᾳ censeo πολιτείαν, scilicet liberam, non ideo popularem, civitatem significari.

(4) *Bullet. communale* 1887, p. 251. — Mommsen. *Zeitschrift für Nümism.* XV, p. 212.

Tertium autem lapidem (1), graece scriptum, quem Theodorus Mommsen (2) cum superiore in eadem dedicatione conjungendum opinatur, ab ea alienum ego existimo. Qui ita se habet :

[῾Η πόλις ἡ ....]ίων εὐεργετηθεῖσα τὰ μέγιστα ὑπὸ τοῦ δήμου
[τοῦ ῾Ρωμαίων φίλ]ου ὄντος καὶ συμμάχου χαριστήρια Διὶ Καπετω-
[λίωι......, πρε]σβευσάντων Βαχχίου τοῦ Λαμπρίου,
[...... τοῦ Διο]νυσίου, Φαίδρου τοῦ Παυσανίου.

Urbis nomen quod vacat, complere supervacaneum, deficiente omni argumento. Nulla autem causa est cur lyciam urbem proponamus, cum aliarum asianarum civitatium plures similes dedicationes ex eodem loco ortae sint, ut Tabenorum (3), Laodicensium (4), Ephesiorum (5).

Immunitatem Lyciis Antonius, si Appiano fidem adhibemus (6), concessit : triumviri vero eorumque legati a Lycia milites navesque exposcere non desiere.

(1) Gatti. *Notizie degli Scavi*, 1887, p. 112. — *Inscr. gr. Siciliae et Ital.* n° 988.
(2) *Zeitschrift für Nümism.*, XV, p. 212.
(3) *Bullet. com.* 1888, p. 139.
(4) *C I G.* 5881. — *C I L.* I, 581 ; VI, 374.
(5) *C I L.* I, 588 ; VI, 373.
(6) Appian. *Bell. civ.* V, 7.

CAPUT III

De lycio Concilio; de suffragiorum ratione.

De lycio Communi perpauca apud antiquos scriptores reperias. Oportet ut illam quasi unicam Strabonis notitiam satis ducamus, quam Strabo ipse ab Artemidoro mutuatus est. Artemidorum autem Ephesium circa olymp. 169 (annis 104-100 ante C. n.) floruisse (1), Strabonem vero circa annum 18 Ch. scripsisse constat (2). Qua proportione Artemidori verba Strabo propria indagatione correxerit atque compleverit discernere delicata res est. Si quis tempora statuere vult, quibus illa Lyciorum communia instituta in effectu esse coeperunt quibusque desierunt, si varios etiam eorum casus notare, frustra conabitur. Strabonis ergo locum, si non aliunde complere, saltem accurate penitusque interpretari nobis licet. Qui quidem ita se habet (3) :

« Εἰσι δὲ τρεῖς καὶ εἴκοσι πόλεις αἱ τῆς ψήφου μετέχουσαι· συνέρχονται δὲ ἐξ ἑκάστης πόλεως εἰς κοινὸν συνέδριον, ἣν ἂν δοκιμάσωσι πόλιν ἑλόμενοι. Τῶν μέν πόλεων αἱ μέγισται μὲν τριῶν ψήφων ἐστὶν ἑκάστη κυρία, αἱ δὲ μέσαι δυεῖν, αἱ δ'ἄλλαι μιᾶς· ἀνὰ λόγον δὲ καὶ τὰς εἰσφορὰς εἰσφέρουσι καὶ τὰς ἄλλας λειτουργίας. Ἕξ δὲ τὰς μεγίστας ἔφη ὁ Ἀρτεμίδωρος Ξάνθον, Πάταρα, Πίναρα, Ὄλυμπον, Μύρα, Τλῶν, κατὰ τὴν ὑπέρθεσιν τὴν εἰς Κίβυραν κειμένην. Ἐν δὲ τῷ συνεδρίῳ πρῶτον

(1) Marcian. Heracleens. *Epit. Peripli Menippei.* 3, c. (Müller. *Geographi minores* I, 566, 31). — Vivien de Saint-Martin. *Hist. de la geogr.*, p. 150.

(2) Dubois. *La géographie de Strabon*, p. 90 sqq.

(3) Strab. XIV, 3, 3, p. 664.

μὲν Λυκιάρχης αἱρεῖται, εἶτ' ἄλλαι ἀρχαὶ αἱ τοῦ συστήματος. Δικαστήρια τε ἀποδείκνυται κοινῇ· καὶ περὶ πολέμου δὲ καὶ εἰρήνης καὶ συμμαχίας ἐβουλεύοντο πρότερον, νῦν δ'οὐκ εἰκός, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς Ῥωμαίοις ταῦτ' ἀνάγκη κεῖσθαι, πλὴν εἰ ἐκείνων ἐπιτρεψάντων, ἢ ὑπὲρ αὐτῶν εἴη χρήσιμον· ὁμοίως δὲ καὶ δικασταὶ καὶ ἄρχοντες ἀνὰ λόγον ταῖς ψήφοις ἐξ ἑκάστης προχειρίζονται πόλεως. Οὕτω δ'εὐνομουμένοις αὐτοῖς συνέβη παρὰ Ῥωμαίοις ἐλευθέροις διατελέσαι, τὰ πάτρια νέμουσι... κτλ. »

Qua brevi notitia inspecta, forsan minus traditis gaudeas quam de praeteritis doleas. Namque si inde Λυκιακὸν σύστημα quale fuerit summatim comprehendas, ubi penitus inire tentas, res in obscurius cadit. Integram quidem lycii Concilii descriptionem adoriri Strabo nunquam in animo habuit; principia modo rationemque civitatis ut in clarius produceret sibi proposuit.

Ratio autem ea erat ut singulis urbibus reipublicae gerendae alendaeque decus onusque simul pro sua magnitudine suoque censu impertiretur. Dum apud cetera Communia, scilicet apud achaicum, aetolicum, arcadicum, aequo suffragio cunctae urbes ad Concilium ibant, apud lycium contra viginti tres foederatae urbes in tres classes distribuebantur, ita ut suffragium simplex, seu duplex, seu triplex ferrent. In eadem vero proportione communia subsidia, militiam pecuniamque, conferebant, ita ut quibus pro magnitudine grandior auctoritas, iis quoque pro fortunis gravius onus incumberet, quibus autem minor communis imperii pars tribueretur, iis et levior pecuniae cruorisque sui impensa pro rata parte imponeretur. Perperam autem Strabo ut ex quam multis urbibus singulae classes conflarentur nobis traderet, omisit : de prima sola classe talis mentio fit, unde sex urbes triplici suffragio praeditas exstitisse constet. Si quidem viginti tres urbes in tres illas classes ratione quadam ordinandas curas, probabile habebis sex primae classis urbes, ut ceteris numero inferiores fuisse, ita

auctoritate, id est suffragiorum summa, praestitisse, itemque de media classe, si eam ultimae conferas. Tabulam porro hanc lycii Concilii haud inconsulta conjectura proponendam censeo :

A

CLASSIS	URBIUM NUMERUS	SUFFRAGIORIUM IN QUAQUE URBE NUMERUS	SUFFRAGIORUM IN TOTA CLASSE SUMMA
I.	6	3	18
II.	8	2	16
III.	9	1	9
	23		43

In hac tabula prima tertiaque classes inter se integrae collatae eamdem rationem habent quam 1 ad 2, ita ut duplo pluribus prima quam tertia suffragiis instructa videatur, scilicet et duplo pluribus oneribus, quum inter singulas trium classium urbes ratio 1, 2, 3 semper observetur. Quando igitur tribunal quoddam communiter constituendum erat, oportebat ut judicum summa eorum trium numerorum multiplex apte fieret. Ut exemplum usurpem, in tribunali 129 judices complexo, ea cuique classi suffragiorum summa attribuenda erat :

B

CLASSIS	URBIUM NUMERUS	CUJUSQUE URBIS SUFFRAGIA	CUJUSQUE CLASSIS SUMMA
I.	6	9	54
II.	8	6	48
III.	9	3	27
	23		129

Eadem ratione, ni fallor, ad onera distribuenda utebantur. Si, exempli gratia, communiter 1720 milites praestandos vel 86 talenta solvenda fingimus, utrumque onus sic distributum fuisse arbitrabimur :

C

CLASSIS	URBIUM NUMERUS	Ex quaque urbe		Ex quaque classe	
		MILITES	TALENTA	MILITES	TALENTA
I	6	120	6	720	36
II	8	80	4	640	32
III	9	40	2	360	18
	23			1720	86

CAPUT IV

De communi Concilio (κοινὸν Συνέδριον).

Auctore Strabone, omnium rerum potens commune Concilium (κοινὸν Συνέδριον) fuit. Quod penes erat magistratus judicesque deligere, de pace belloque nec non de foederibus pronuntiare. Jus quidem pacis, belli foederisve nunquam, verbo saltem, Lyciis ademptum; usu autem, post annum 169, de hujusmodi rebus statuendi nulla facultas relicta est, nisi Romanorum peculiari assensu (1). Num ipsi Synedrio universa omnipotensque auctoritas attribuenda est? Generatim hoc vocabulo : Συνέδριον, Graeci foederum Concilia significabant supremumque societatis Senatum, cujus erat praesentia negotia agere legesque contioni, id est Ecclesiae, sanciendas proponere. Senatum enim, seu βουλήν, in arcadico foedere, Ecclesiae, id est τοῖς Μυρίοις, adjectum fuisse comperimus (2). Apud Aetolos σύνεδροι sive βουλευταί titulis designantur viri in Synedrium advocati, quod a συνόδῳ sive ἐκκλησίᾳ abest (3). Item apud Tredecim Ionum urbes (4).

(1) Mommsen. *Droit pub. rom.* trad. franç. VI2, p. 295 299.

(2) Foucart. *Inscr. du Pelop*, 352p.

(3) Gilbert. *Griech. Staatsalerth*, p 30, adn. 2.

(4) Foucart. *B C H.* X, p. 388. Apud Magnetes thessalios, intra annos 196–146, decretum Συνεδρίου ab Ecclesia sancitur (Fougères. *B C H.* XIII, p. 273). Idem verbum usurpaverunt historiarum scriptores ad designandum Concilium sociorum, alterius attici foederis aetate (Diod. XV, 28), Conciliumque ab Hellenibus Corinthi habitum, anno 395 (*ibid.* XIV, 82 et XV, 38): sed tunc sine auctoritate publica vocabulum erat. (Vide Holleaux, *Rev. des Ét. gr.* 1896, p. 361, de Concilio Troadis). Posterius in municipalia instituta defluxit, secundo ante Chr. saeculo, municipalemque senatum designavit.

Haud immerito certe mirabitur aliquis quod apud Strabonem popularis contionis sive δήμου, nullam mentionem inveniat, quum postea provinciale Lyciae Commune, praeter Senatum (βουλήν), et Ecclesiam magistratibus creandis obtineat. Exstiteritne, an non, Artemidori Strabonisque aetate, in dubio relinquitur (1).

Lycium autem Synedrium, de quo Strabo, quomodo conflatum fingamus? Binas enim conjecturas prodam, inter quas optandum : — 1°) in Synedrium quasi in universae gentis Concilium cuncti singularum urbium cives, Achaeorum more, conveniebant. Ibi autem, tabella a singulis urbibus data, sententia singulis sive ternis suffragiis exprimebatur. — 2°) In Synedrium advocabantur tantummodo quidam viri a quaque urbe delecti, qui pro suis civibus sententiae ferendae munus susceperant. Plurimi quidem docti viri in hanc opinionem iverunt (2). Adhuc autem superest ut inspiciamus quomodo delegati ab urbibus eligerentur. Plures menti nostrae rationes occurrunt : — 1°) Urbes sive singulos, sive binos, sive ternos pro sua classe synedros eligebant, ita ut quisque legatus proprium suffragium emitteret. Tunc in tabula nostra A veram Concilii imaginem reperiamus. Nihil vetat quin fingas legatis a civibus suis arctissime mandatum fuisse quid de rogationibus aut de creandis magistratibus in Concilio pronuntiaturi essent, nedum ea illorum arbitrio remissa fuerint. — 2°) Synedrorum numerus suffragiorum numerum excedere poterat, dum inter singulas classes justa proportio servaretur, secundum tabulae nostrae B rationem. Scilicet 3 a singulis infimis urbibus, 6 a mediis, 9 a primis delegari poterant; quin etiam hos numeros ita multiplicare licebat

(1) Exempla non desunt Synedriorum summam in civitate potestatem tenentium, deficiente populari auctoritate : κοινὸν τῶν νησιωτῶν. *C I G*, 2334. — *B C H*, IV, 321, 323 ; VII, 7. — Commune Troadis. *C I G*, 3601. Dittenberger. *Sylloge*, 125. — Holleaux. *Rev. des Ét. gr.* 1896, p. 360.

(2) Freemann. *History of fed. gov.* p. 208-216. — Vischer. *Kleine Schriften.* I, p. 534. — Gilbert. *Griech. Staatsalterthümer,* II, p. 184. — Wad. 1221.

ut inter singularum classium summas ea semper ratio constaret quam habent inter se 1, 2, 3. In Concilio autem, singulae legationes sive singula, sive bina, sive terna suffragia, pro classe sua, ferebant.

Concilium in eam urbem, quam vellet, suo arbitrio conveniebat (1). Nullum porro caput totius Lyciae erat. Priscis vero temporibus, Xanthum Lyciae principem novimus, quum ibi potentissimus dynasta sederet, communiumque sacrorum praesidatum obtineret. Communi autem instaurato, aliae urbes quae jam magnitudine fortunisque Xanthum aequarent (2), ne quae de principatu contenderet neve ex aemulis discordes urbes evaderent, visum est in singulis vicissim Synedrium haberi : ea apud arcadicum foedus et apud achaicum post annum 189 consuetudo fuit. De eo autem inquirere licet utrumne cunctae urbes, nulla excepta classe, ad Concilium recipiendum valerent, an solis primae classis urbibus hoc privilegium concederetur. Si non pro certo, pro probabili habeo una cum ordinario Synedrio solemne Apollinis lycii festum, quod ἐθνικὴν πανήγυριν Lycii celebrabant, incidisse. Unde necesse fuit urbem, in quam Synedrium convocaretur, non solum idoneo ad legatos excipiendos aedificio, sed etiam communi templo sacris faciendis, theatro stadioque ludis edendis, instructam fuisse. Si res ita fuit, urbes modo locupletissimas ad tantum populi conventum per dies festos excipiendum alendumque valuisse liquet, quas postea Lyciorum *metropoles* tituli designant. Quin autem metropoles illae eaedem fuerint atque urbes primae classis, nihil obstat (3).

(1) Strab. *l. cit.*

(2) Strabo (XIV, 3, 6) Xanthum, etiam suo tempore, omnium potentissimam; secundum hanc, Pataram profitetur. Livius contra (XXXVII, 15, 16) Pataram « caput gentis » designat. Quibus verbis nihil aliud, nisi urbem praestantissimam significare voluit.

(3) Jam ante annum 43 C. Xanthus Lyciorum metropolis designata videtur (*Reisen*. I, p. 123, n° 96).

Concilium autem convocandum urbsque, ubi sederet, designanda cujus essent, incertum est. Ut synedros eligerent forsan singulas urbes monendas Lyciarcha curabat nec non quo coirent indicebat, seu antiquitus certam vicem sequens seu urbem ab antecedenti synedrio designatam ipse commemorans.

Annuum sane Synedrium erat. Quoties autem per annum quibusque anni tempestatibus conveniret, incertum. Si ad posteriora tempora respicio, existimem semel autumno (1) conventum haberi solitum esse, quem per plures dies continuos sessisse patet. Namque de nulla re agitari licebat, nisi rebus divinis perpetratis diisque invocatis. Deinde, ut alias mos erat, decedentium magistratuum rationes recitabantur, sacerdotum templorumque latercula. Tum agebatur de novis magistratibus creandis, praesertim de Lyciarcha, dein de ceteris ἀρχαῖς τοῦ συστήματος, et de judicibus constituendis : tunc agebatur magna civitatium aemulatio, petitio candidatorum. Postremo de variis rebus synedri disputabant : de pace, de bello, de foederibus faciendis solvendisve, de legationibus ad externos, praesertim ad Senatum populi romani tanquam ad arbitrum cunctarum litium; de laudibus, praemiis, honoribus, statuis tribuendis, si qui viri populive de Communi bene meriti essent; de tributis vectigalibusque, de impensis, de militia, de re navali, de templis consecrandis multisque aliis.

Forsan quoque, ubi res poscebant, extraordinaria ceteris anni temporibus Concilia convocandi jus magistratibus non recusatum.

(1) Ut infra demonstrabitur, lycii anni mense Loo, id est octobri, initium fiebat. Unde probabiliter efficitur novum Lyciarcham, desinente Panemo (septembri) creatum, statim ineunte Loo munus suum inauguravisse, Conciliumque ipsum ad finem mensis Panemi habitum fuisse.

CAPUT V

De communibus magistratibus (κοινοὶ seu ἐθνικοὶ ἄρχοντες).

De magistratibus qui publicis rebus praeerant egentissimus Strabo. Unius Lyciarchae peculiaris mentio fit, qui summus civitatis rector erat. Id enim ex ejus nomine atque ex eo facto deducitur quod primus ante ceteras ἀρχὰς a synedris creabatur.

Munere praetoris cum imperio militari Lyciarcha fungebatur, haud secus atque Achaeorum praetor, aut Magnetarches, qui Thessaliorum Magnetum κοινὸς στρατηγός dicitur (1). Militaris enim ducis, id est στρατηγοῦ, nomine populariter designatus in quibusdam titulis Lyciarcha agnoscitur (2). Haud semel enim nonnulli in provinciali Lycia insignes viri se a majoribus olim praetoribus aut classium equitumve praefectis oriundos jactant (3). Praetoris autem atque Lyciarchae idem munus fuisse ex Opramoae titulo liquet, quum his verbis ejus lyciarchia aperte commemoretur (4) : κοι]νῇ μὲν τῷ ἔθνει στ[ρα]τη[γήσας... καὶ ἀρχιερα[τεύσας τῶν Σεβασ]τῶν. Regnantibus Antoninis, vocabulum hoc jamdudum omni publica auctoritate exutum erat. Nemo autem dubitet quin quasi hereditarium ab anteriore aetate, qua Lycia adhuc libera, recentioribus transmissum fuerit.

(1) *B C H.* XIII, p. 276. — Liv. XXXV, 31, 11; 35, 39. — Saepe Boeotarchia στρατηγία appellatur (Diod. XV, 62. Polyb. XX, 4. Plut. *Arat.* 16).

(2) *Reisen.* I, n° 93 : προγόνων ὑ[πάρ]χοντα στρατηγῶν καὶ ναυάρχων.

(3) *Ib.* II, n° 165 : προγόνων ἱππάρχων καὶ ναυάρχων. — Cf. II, n° 174 et *Opr.* V A, 12.

(4) *Opr.* XVIII F, 3.

Praeter militare imperium, ceteris rebus publicis praefuisse videtur Lyciarcha, de quibus ne plura scribam prudentia vetat, deficiente omni testimonio. Eum autem summum, non unum, Lyciorum ducem exstitisse existimem. Plures enim, Lyciarchis impares, στρατηγοί quibusdam titulis referuntur, hujusmodi : ἔγγονον... στρατηγῶν καὶ ἀρχιφυλάκων καὶ γραμματέων τοῦ ἔθνους καὶ λυκιάρχων πρωτευσάντων τοῦ ἔθνους (1). Unde consequitur nonnullos Lyciarchae inferiores exercituum duces una cum eo rei militari praefuisse, in collegium forsan seu συναρχίαν convenientes (2).

Cuncti illi magistratus in annum creabantur.

Secundum Lyciarcham, equitum praefectum seu *Hipparchum* tituli referunt (3). Etiam *hypohipparchus* quidam designatur in titulo ad annos circiter 23-43 Christi pertinente (4).

Quanti ponderis apud Lycios fuerit classis praefectus seu ναύαρχος intelliget qui Lyciam a pamphyliis, ciliciensibus isauricisque piratis infestam, atque a Rhodiis in insula Megiste instantibus vexatam respexerit. Latrocinio autem semper, auctore Strabone, Lycii abstinuere, adjumentumque Romanorum classibus ad praedones detrudendos haud irritum praestitere. Lycium navarchum Aechmonem tituli xanthiaci celebraverunt (5).

(1) *Reisen*. II, p. 179, n° 226.

(2) Apud Magnetas Thessalios una cum κοινῷ στρατηγῷ et alios duces tituli commemorant. (Fougères, *BCH*. XIII, p. 276).

(3) Vide supra, nota 3. — Cf. *Bericht*. p. 23, n° 15, (Tlos) : Λυκίων τὸ κοινὸν Ἀπολλώνιον Ἀντιγένους, Τλωέα,... τὸν ἱππάρχην τοῦ ἔθνους. Qui titulus anno Christi 43 anterior videtur. — *Reisen* II, n° 233 E, ἵππαρχος delendus est : vide *Bericht*. p. 44, II, l. 70, sqq.

(4) *JHS*. X, p. 77 (Patara) : καὶ ὑποιππαρχήσαντα....

(5) Αἴχμων Ἀπολλοδότου Σαρπηδόνος ναυαρχήσας κατὰ πόλεμον ἁπάντων Λυκίων καὶ καταναυμαχήσας περὶ Χελιδονίας τοὺς ὑπεναντίους καὶ ἀποβὰς εἰς τὴν χώραν αὐτῶν καὶ καταφθείρας καὶ τρὶς παραταξάμενος καὶ νικήσας πάσαις ταῖς μάχαις, Σαρπηδόνι καὶ Γλαύκῳ ἥρωσι χαριστήριον. (*CIG* 4269b1. ad. 1123.— Wad. 1251).— Οἱ στρατευσάμενοι κατὰ πόλεμον ἐν τῷ ναυτικῷ Αἴχμωνι Ἀπολλοδότου Ξανθίῳ ναυάρχῳ Λυκίων, ἡρῷον. (*CIG* 4269b2. ad. 1123. — Wad. 1252).

Tria adversus piratas bella ab historicis scriptoribus commemorantur,

Plurimi Antoninorum aetate honorum cursus ἀρχιφύλακα et ὑποφύλακα τοῦ ἔθνους commemorant. Quae munera jam pridem, in libero Communi, exstitisse libenter existimem. Item de communi Scriba (γραμματεὺς τοῦ ἔθνους). De his autem infra tractabitur, quum omnes, ubi referuntur, tituli ad recentiorem aetatem pertineant.

Quod ad aerarium attinet, quanquam nulla pecuniae publicae curatoris, id est ταμίου τοῦ κοινοῦ, mentio superest, non libenter accipiamus hoc munus defuisse.

quorum cuiquam cum auxiliariis navibus adesse Aechmon ille potuit. 1° bellum anno 103 ab M. Antonio, eo tempore quo Cilicia in provinciam redigeret, gestum; 2° bellum a P. Servilio Isaurico annis 78-74; 3° bellum a Pompeio Magno, anno 67. — De alio titulo Athenis reperto, vide Foucart. *BCH.* VI, p. 280. — Treuber. *Gesch. der Lyk.*, p. 185. adn. 1. — Νάυαρχοι saepe in recentioribus titulis referuntur.

CAPUT VI

De communi re judiciaria ac jurisprudentia.

Communia tribunalia apud Lycios exstitisse testatur Strabo : δικαστήρια ἀποδείκνυται κοινῇ. Quibus litibus judicandis ea creata fuerint, qui exempla externa contulerit, intelliget (1). Non enim insolitum apud foederatas civitates fuit communia tribunalia institui ad causas cognoscendas quibus singulae urbes cum Communi seu de vectigalibus seu de militiis praestandis contenderent, seu ad sententiam de urbibus quae foederis jura violassent, etiam de litibus inter singulas urbes, pronontiandam. Hujusmodi apud Lycios ea tribunalia fuisse mihi videntur, de quibus Strabo verba facit. Municipalia autem fora, ubi in singulis urbibus causae inter cives judicarentur, minime ab illis excludebantur. Forsan existimandum jus appellationis a municipalibus ad communes judices concessum fuisse. Communia autem tribunalia quotannis a Synedrio creabantur.

De communi jure apud Lycios nihil certum. Jus connubii commerciique inter cunctas foederatas urbes valuisse constat, quum plures Lycii uxores extra patriam urbem duxerint atque in pluribus simul urbibus jus civile obtinuerint. Communes autem jurisconsultos, id est νομογράφους, ad leges praeparandas scribendasque, apud Lycios exstitisse titulus pataraeus nos docet (2).

(1) De re judiciaria apud Achaeos, vide Polyb. II, 37. — Pausan. VII, 9, 5.

(2) *JHS*, X, p. 77. καὶ νομογραφήσαντα Λυκίοις. — De eorum muneribus, cf. quae de nomographis Aetolorum tradita sunt. *CIG*, 3046. — Polyb. XIII, 1.

CAPUT VII

De rebus sacris; — de Apollinis Patroi sacerdotio.

Communiter Lycios Apollinem Lycium, Latonam Artemedinque veneratos esse supra exposui. Qui una, tanquam urbis patroni, πατρῷοι θεοί, apud Xanthios ita colebantur ut sacerdos eorum ibi eponymus magistratus fuerit (1). Communiter autem Apollo solus ut totius Lyciae patronus, κοινὸς θεὸς Ἀπόλλων πατρῷος, rite colebatur, ejusque effigies in communibus nummis cum corona laurea, arcu pharetraque incuditur (2). Num sacerdos ejus, Lyciis adhuc liberis, ἀρχιερέα, an ἱερέα titulum acceperit, incertum. Certe autem, post Lyciam provinciam factam nullum communem ἀρχιερέα Romani passi sunt nisi Augustorum. Unde fit ut apud titulos anno 43 posteriores semper ἱερεὺς τοῦ κοινοῦ θεοῦ Ἀπόλλωνος Πατρῴου, nunquam ἀρχιερεύς seu patriorum deorum seu unius Apollinis communis prodatur. De communi cultu, ante provinciae aetatem, perpauca nobis tradita sunt.

Vetustissimum patriis diis sacrum templum procul a Xantho

(1) Ut ex titulo (provinciae institutae anteriori ?) constat. *Reisen*. I. p. 123, n° 96 : ἀγωνοθετήσαντα β̄ τῶν πατρῴων θεῶν μεγίστην καὶ ἐπώνυμον ἀρχὴν... ἱερατεύσαντα καὶ ταμιεύσαντα τῶν πατρῴων θεῶν. Quem quidem honorum cursum omnino municipalem arbitror. Primis igitur verbis non, ut Benndorf opinatus est, communis ἀρχιέρεια τῶν πατρῴων θεῶν designatur, qui insolitus magistratus videatur, sed sacerrimum apud Xanthios munus.

(2) Sunt et quaedam Artemidis effigies, cum cerva pharetraque. (Head. *Hist. Num.* p. 575).

in planitie eminebat Letoumque appellabatur (1). Ibi solemne festum celebrabant, quod ἐθνικὴ πανήγυρις in titulo quodam xanthio designatur (2). Alia quoque nonnullis in urbibus Patroi Apollinis templa exstitisse testantur tituli, quibus laudantur sacerdotes pro Communi ministerium suum peragentes (3). Saltem urbes primae classis, in quibus vicissim Synedri sedebant, neque templo neque sacerdote Apollinis carere potuerunt. Num autem hi communes sacerdotes, communia in urbibus sacra administrantes, summo cuidam pontifici seu ἀρχιερεῖ obsequerentur, an cuncti ex aequo viverent, ignoramus.

(1) Strab. XIV, 3, 6. Ejus rudera ab Austriacis descripta sunt (*Reisen*. I, p. 118).

(2) *Reisen*. I, p. 123, n° 96 : πρυτανεύσαντα β καὶ ἐν ἐθ[νικ]ῇ πανηγύρει.

(3) Vide infra p. 112 sqq.

CAPUT VIII

Quantis quibusque urbibus Lyciorum Commune conflatum sit.

Arduum est quantis quibusque urbibus Lyciorum Commune conflatum sit discernere. Cui rem tentaverit temporum discrimina quam accuratissime notanda erunt. Quum enim ab Artemidoro viginti tres urbes in Lycio Communi foederatas Strabo acceperit, hunc numerum non Strabonis, sed Artemidori aetate, scilicet anno circiter 100 a. C. n. valuisse constat. Id unum nobis traditur, tunc temporis primam classem sex urbes complexam esse, scilicet : Xanthum, Pataram, Pinaram, Olympum, Myra, Tlos (1). De 17 ceteris per inane conjecturae vagantur. Intra autem Artemidori supremaque liberi foederis tempora, res mutatas esse testantur historiarum scriptores, novas urbes Communi accessisse, nonnullas corruisse, unde consequitur ut numero, a Strabone relato, continua fides non sit adhibenda. Si catalogos urbium ab Hecataeo, Strabone, Plinio, Ptolemaeo, Scylace, Stadiasmo maris magni, Hierocle, Stephano Byzantio titulisque traditos percenses, centum nomina, aut plura, colligas. Valde autem erret qui Lyciam liberam eamdem fuisse arbitretur atque provincialem. Nempe, imperantibus Romanis, nulli

(1) Myra societatis participia fuisse ea tempestate negavit doctissimus Foucart (*BCH*, VI, p. 280), quia in titulo attico populus myraeus sejunctim juxta Lyciorum Commune Phaselitasque Atheniensi cuidam navarcho coronam dedicavit Cujus rei haud immerito, ni fallor, Treuber (*Gesch. der Lyk.*, p. 185. adn. 1), rationem hanc dedit, scilicet quod peculiariter de Myraeis vir ille meritus erat, dum eos contra piratas tuebatur.

civitati licebat ut a provinciali Communi, id est ab Augustorum cultu, deficeret. Multo plures ergo urbes provinciale Commune complectebatur quam liberum.

Supersunt autem nummi, a lyciis urbibus intra annos 169 a. C. n. et 43 C. incusi, ex quibus indicium haud fallax nobis suppeditabit. Communis enim pecunia, argentea aeneaque, communia simulacra praebet, scilicet lyram caputque Apollinis, pharetram seu arcum caputque Artemidis, nec non varias formas cum litteris ΛΥ seu ΛΥΚΙΩΝ, civitatisque nomen quae feriendam pecuniam jusserat. Hae autem sunt urbes, quarum hujusmodi nummi adhuc in medium proditi sunt (1) :

1. Antiphellos	9. Cyaneae	18. Podalia
2. Aperlae	10. Gagae	19. Rhodiapolis
3. Apollonia	11. Limyra	20. Sidyma (5)
4. Araxa (2)	12. Massicytus	21. Telmessus
5. Arycanda	13. Myra	22. Tlos
6. Bubon	14. Olympus	23. Trebenna
7. Ca[dyanda ?] (3)	15. Patara	24. Tymena
8. Cragus	16. Phellus	25. Xanthus
	17. Pinara (4)	

Quidam veterum nummorum studiosi (6), ex hoc catalogo Ka[dyandis] Telmessoque exclusis, a viginti tribus tantummodo urbibus communem pecuniam incusam asseruere, eumque

(1) Vide catalogum librorum ad nummos pertinentium, p. III-IV.

(2) Nummum vidi in Bibliotheca parisiensi. Æ. Caput Apollinis laureatum dextera respiciens : ℞. Caput galeatum dextera respiciens. ΛΥΚΙΩΝ-Α-

(3) Calynda seu Candyba. Babelon. *Invent. de la Coll. Wadd.* p. 167, nº 3034 : « Tête d'Apollon à dr. — ℞ : ΛΥΚΙ-ΚΑ. Arc et carquois. Carré creux. »

(4) Head. *Num. chronicle*, VI, 1886, p. 266. — Exemplum vidi in Bibliotheca parisiensi : Æ Caput Apollinis laureatum dextera respiciens. Λ-Υ. ℞ Lyra in quadrato incuso : Π-Ι (o gr. 18).

(5) Nummum vidi in Bibliotheca parisiensi. — Æ. Caput Apollinis dextera respiciens. ℞ ΛΥΚΙΩΝ. Lyra. Σ-Ι. (o gr. 17). Sidymam eamdem urbem fuisse atque veterem Cragum demonstravit Benndorf (*Reisen*. I, p. 66).

(6) Head. *Hist. num.*, p. 575.

numerum cum Strabonis verbis mire congruere jactant, fortuito id casu accidisse obliti, quum Oenoandorum, Balburorum, Corydallorum communes nummi, etsi adhuc deficiunt, tamen non exstitisse nequeant.

Eis porro libentius assentiar qui putant ex viginti tribus urbibus, desinente secundo ante C. n. saeculo, lycium Commune conflatum esse, deinde ex pluribus, postquam nonnullae novae urbes seu sponte sua, seu vi accesserunt. Accidit enim ut Lyciorum ager haud semel augeretur, scilicet :

1°) Defuncto Attalo, anno 133 vel 132 ante C. n. (1), Telmessus, olim (a. 189) Eumeni data, Lyciae adjuncta est. Ex Appiano (2) autem constat eam Lycii foederis amicam potius quam participem diu fuisse suique juris bello mithridatico etiam tum mansisse, non Synedrorum arbitrio subjectam fuisse. Quum autem, Strabonis aetate, inter Lyciorum oppida (πολίχνη Λυκίων) numeretur, necesse est ut in lyciam societatem intra annos 54 ante C. n. et 30 C. recepta fuerit. Etenim, sejunctim pecuniam ferire desiit communesque mummos una cum Crago emisit, cum litteris ΛΥ-ΤΕΛ-ΚΡ, vel ΛΥΚΙΩΝ-ΚΡ-ΤΕΛ, vel ΤΕΛ-ΚΡ (3).

2°) Num Phaselis unquam lycii foederis pars fuerit, ante provinciam creatam, an non, adhuc incertum. Docti viri (4) eam primo ante C. n. saeculo, cum Lyciis foederatam arbitrantur, postea autem ejectam, postquam eam Servilius Isauricus annis 78-74 oppugnatam diruit. Nummi enim Phaselitarum communia simulacra praebent, litteris autem ΛΥ seu ΛΥΚΙΩΝ carent. Strabonis aetate extra Lyciae fines Phaselis traditur (5). Unde,

(1) Strab. XIV, 3, 4.

(2) Appian. *Mithr.* 24 : καί τινες αὐτοῖς (Ῥοδίοις) Τελμισσέων τε καὶ Λυκίων συνεμάχουν.

(3) Imhoof-Blumer. *Mon. gr.* 18. — Head. *Hist. Num.* p. 580.

(4) Lenormant. *Monnaie dans l'Antiq.*, II, p. 117. adn. 1. — Treuber, *Gesch. der Lyk.* p. 180.

(5) Strab. XIV, 3, 9, p. 666.

aut ego fallor, consequitur ut Phaselis demum post provinciam creatam Lyciorum societati accesserit.

3°) Cibyratis, ante annum 81, tyranno parebat. Jam anno 189, Manlius Vulso consul Moagetae I tributum imposuit (1). Quod parvulum regnum ex Tetrapoli, scilicet ex Cibyra, Bubone, Balburis, Oenoandis (2) constabat (3). Post pacem anni 84 a. C., Murena, a Sulla in Asia relictus ut res asianas ordinaret (4), tetrapoli dissoluta, Cibyram Asiae provinciae, Bubonem Balburaque (nec non sane Oenoanda) Lyciorum Communi adjunxit (5). Communem inde Bubo pecuniam ferire coepit. In quam urbium classem novae illae civitates receptae sint, non nobis traditur. Iis autem adjectis, effectum sane est ut priscus foederatarum urbium catalogus renovaretur, earumque summa non eadem servaretur atque antea.

(1) Polyb. XXII, 15. — Liv. XXXVIII. 14.

(2) Quibus Termessus minor adhaerebat.

(3) In earum urbium concilio, Cibyrae bina suffragia concedebantur, quum 30 000 milites, 2 000 equites sola praestare valeret (Strab. XIII, 4, 17). Bellis inter Rhodios Lyciosque faventibus, cibyratici tyranni fines suos ultra fluvii Indi vallem prope Rhodiorum Peraeam protulerunt. Quum autem exitum ad mare cupirent, regnante Pancrate (Polyb. XXX, 9, 15), Rhodiis ad subigendos Caunios, sed frustra, suppetias ivere (Polyb. XXX, 5, 14. — Liv. XLV, 25).

(4) Appian. *Mithr.* 64.

(5) Nescio quo casu Oenoanda cum Termesso Minore a Strabone omissa sint (Strab, XIII, 4, 17). Ei enim pagi, magis meridiana parte positi quam Bubo Balburaque, cum sola Lycia cohaerere potuerunt. Revera, Alexander Polyhistor, qui intra annos 82-60 a. C. n. florebat, eos inter lycias civitates annumerabat (Steph. Byz. *s. v.* Οἰνοάνδα), atque ex titulis recentioribus constat eos provincialis conventus participes fuisse. Cum Lyciis quidem societatem aegre ferebant, nam Oenoandei, odio in Xanthum impulsi, una cum Bruto Xanthum oppugnavere (Appian, *Bel. civ.* IV, 79). Alii autem vici sub cibyratici tyranni ditione erant : ἐκράτει δὲ τῆς Κιβύρας καὶ Συλείου καὶ τῆς Ἐντέμνη πόλεως (Polyb. XXII, 15, [17]). Quae Livius sic transtulit (XXVIII, 14). « Erant autem sub eo praeter Cibyram, Sylleum et ad Limmen quae appellatur. » Σύλειον autem, de quo Polybius, minime idem atque Sillyum pamphylium esse potest, quod Cibyra millia passuum plus quam sexcenta abest (Radet. *Rev. archéol.* 1890². *Les villes de la Pamphylie*). Nominis Ἐντέμνη loco, ἐν Λίμνῃ forsan apud Polybium legendum est. Uterque autem pagus lacu Caraliti Myliadique finitimus erat, nempe καὶ αἱ κῶμαι παρεξέτειναν ἀπὸ Πισιδίας καὶ τῆς ὁμόρου Μιλυάδος ἕως Λυκίας (Strab. XIII, 4, 17). Kiepert (*Formae orbis antiqui.* IX), Alimnen Sylleumque prope stagnum vico Giöl-Hissar contiguum collocat.

4°) Vice autem versa, ubi Olympus a Servilio Isaurico intra annos 78-74 diruta est, si non universum Commune, saltem prima urbium classis tanto deminuta est. Namque, si non radicitus de urbium tabula nomen Olympi sublatum, saltem in inferiorem classem delapsum esse arbitrer (1).

Forsan tunc temporis, ut Olympi delapsus pensaretur, Lycii obtinuere Trebenna, urbem in pamphylio campo sitam, quam lycio Communi adhaesisse tituli nummique testantur (2).

Ex quibus, ni fallor, conficitur ut orientales lycii agri fines montium tractibus institerint qui insuper Olympum ad insulam Lyrnateiam producuntur, omissa maris pamphylii ora. Quae custodienda romano Ciliciae rectori commissa est; Cilicia enim provincia, post servilianum bellum de integro refecta, Pamphyliam tunc amplectebatur (3). Sic intelligitur extra lycium agrum Phaselin jacuisse.

Quod ad septentrionem attinet, Milyas nunquam intra lycios fines inclusa est (4). Namque, si Straboni fidem adhi-

(1) Quasdam partes agri Coryciorum, Phaselitarum Olympenorumque Servilius agro publico adjunxit (Cic. *de leg. agrar.* I fr. 3. — Cf. Eutrop. VI, 3. — Oros. V, 23. — Treuber. *Gesch. der Lyk.*, p. 188). Forsan, ut conjecit Junge (*De prov. Ciliciae origine ac primordiis*, p. 31) Olympus Phaselisque provinciae Ciliciae adjunctae sunt, nec prius ad Lyciam regressae sunt, quam Claudius Lyciam Pamphyliamque in provinciae formam ordinavit.

(2) Communes Trebennatum nummi litteras ΛΥΚΙΩΝ-ΤΡ ferunt. — Titulum vide : Lanckoronski. *Villes de la Pamph. et de la Pisidie.* II, p. 82 et p. 235. N° 183.

(3) Marquardt. *Organis. de l'empire rom.*, trad. franç. II, p. 315.

(4) Principio hoc nomine Myliade magna incertaque regio designabatur (Herod. I. 173). Ptolemaeus (V. 27, 25), quum in lycia Myliade Podaliam, Nysam, Chomam, quin etiam Candybam includat, veterem traditionem perscribit jamdudum omni publica auctoritate destitutam. Quae proprie Milyas vocabatur, scilicet incluso Cretopoleos-Cremnae (Polyb. V, 72, 5) agro, Eumeni regi a Romanis anno 189 data est (Polyb. XXII, 24, 10). Post autem defunctum Attalum, *liberum commune Milyadum* evasit. Plerique e loco Tullii, ubi Verrem Milyadem peculatum narrat (*Verr.* I, 38, 9) concluserunt Myliadem Dolabellae, Ciliciae rectori, subfuisse. Quum autem et Lyciam Verrem praedatum referat, neque unquam Lycia Ciliciae adjuncta appareat, argumentum inane fit. (Waddington. *Fastes de la prov. d'Asie*, p 662).

bemus, ad meridiem Milyas viam finibat a termessiis angustiis ad Isinda pergentem ; ad septentrionem, Apamaeorum terram contingebat (1) ; Podalia contra atque uterque campus qui hodie vicum *Elmaly* circumdant, Lyciorum erant.

In orientali autem parte, imo sinu telmessio Lycia terminabatur (2).

(1) Strab. XIII. 4, 17, p. 631.

(2) Liv. XXXVII, 16. — Post autem provinciam creatam ad fluvium Indum Lyciae fines prolati sunt, inclusa peninsula ubi Krya, Lydae Lissaque urbes jacent [*J H S*. 1889, IX, p. 82 sqq.— 1890, X, p. 52 sqq. et 73.— Arkwright. *The frontier of Lycia and Caria*. (*J H S*. 1895, XV, p. 95)]. Byzantinis temporibus, Caunus Lyciae adjuncta est, ut ex Hieroclis *Synecdemo* atque ex *Notitiis Episcopatuum* liquet.

CAPUT IX

De minoribus in lycio Communi conciliabulis.

(Συμπολιτείαι, Συντελείαι).

Lycias urbes olim 70 exstitisse, suo autem tempore solum 35 superfuisse Plinius (1) tradit ; Ptolemaeus 33, Hierocles 28, Stephanus Byzantius 64 dinumerant. Quibus si ceteras, ut supra dixi, aliunde commemoratas adjunxeris, centum sane excedas. De ea autem summa plurima oppida, castella, insulae deducenda sunt, quae inter lycia a scriptoribus numerata, revera Cariae Pisidiaeve adhibenda sunt, nonnullaque alia quae in lyciam societatem demum post provinciam creatam recepta sunt. Quibus deductis, reliqua tamen summa viginti trium urbium numerum superabit quae suffragiis, auctore Strabone, fruebantur. Unde nonnulli collegerunt minores vicos omnino suffragii expertes fuisse, atque ideo ceteris invidisse (2). Equidem rem ita sese habuisse non censeo. Mea sententia, singulare cunctis Lyciae locis suffragium non tribuebatur ; cuncti autem suffragii participes ita erant, ut minores vici (κῶμαι) una cum praestantiore quodam pago societatem facerent atque in partem suffragii una cum illo, sed sub ejus nomine, venirent. Quas societates

(1) Plin. *H. N.* V. 27, 28.

(2) Sainte-Croix, *Anciens gouvernements fédératifs*, p. 227. « Une pareille exclusion fut vraisemblablement l'origine des sanglantes discordes qui éclatèrent parmi les Lyciens. »

(συμπολιτείαι, συμπολιτευόμενοι δῆμοι) (1), jam antiquitus exstitisse non infitiandum est, etsi praesertim in provincialibus titulis referuntur. Natura enim ipsa quasdam regiones ita disposuerat ut exigua in sinu totius lycii Communis conciliabula orirentur, scilicet Kragi et Massicyti montium, Candybae, Cyanearum, Apolloniae, Aperlarum, Idebessi pagos (2). Quorum incolae sane ad Synedros eligendos in pagi caput conveniebant.

Non eadem atque illae συμπολιτεῖαι sunt alia ad pecuniam communiter cudendam instaurata foedera, quae συντελείαι graece dicebantur. Monetales inter lycias urbes societates ex nummis hae adhuc innotuerunt (3) :

(1) Wad. 1290, 2.

(2) Vide ad finem libri earum societatum catalogum.

(3) Cavedoni. *Observ. sur les monnaies de la Lycie*, p. 38. — Koner, p. 115 sqq. — Waddington. *Rev. num.* 1853, p. 85-98. — Head. *Hist. num.*, p. 576 sqq. — Mionnet, III, p. 435, n. 24. 25. Supplém. VII, p. 8. — Six. *Rev. num.* 1886, p. 436,

A. — *Circa Cragum societas* (1)

1° Telmessus-Cragus.	Æ	ΛΥ. Caput Dianae.	ΤΕΛ.ΚΡ. Cerva.
—	Æ	ΛΥΚΙΩΝ. Augusti caput.	ΚΡ.ΤΕΛ. Lyra in laurea corona.
2° Cragus-Tlos.	Ar.	Caput Apollinis dext. resp.	ΤΛ.ΚΡ. Lyra, caduceus.
—	Ar.	ΛΥ. id.	ΤΛΦ-ΚΡ
—	Æ	ΛΥ. Caput Augusti.	ΚΡ.ΤΛ. Lyra in laurea corona.
3° Cragus-Aperlae.	Ar.	Caput Artemidis, arcus, pharetra.	ΛΥΚΙΩΝ $\frac{\text{ΚΡ}}{\text{ΑΠ}}$ Lyra in quatrato.
4° Cragus-Myra.	Æ	ΛΥ. Lyra.	ΚΡ.ΜΥ. Cerva.
5° Cragus-Trabala.			ΤΡΑ.ΚΡ
6° Cragus.-Xanthus.			ΚΡ.ΞΑΝ
—		ΛΥ	ΚΡ.ΞΑΝ
7° Cragus-Patara.			ΠΑ.ΚΡ.

B. — *Circa Massicytum societas* (2)

1° Massicytus-Myra.			ΜΑ-ΜΥ
2° Massicytus-Xanthus.	Ar.	Caput Solis cum aquila.	ΞΑ.ΜΑ. Balaustium.

C. — *Aliae societates*

1° Patara-Xanthus.	Ar.	Caput Solis cum aquila.	ΠΑ-ΞΑ. Balaustium.
2° Myra Apollonia.	Ar.	Apollo coronatus.	ΙΜΥΡ.ΑΠΟΛ. Lyra.

(1) Cragi solius nummi hi sunt : *Ar.* Caput Apollinis laureatum ΛΥ vel Λ — Lyra, seu cerva, arcus et pharetra ΛΥΚΙ-ΚΡ.

(2) Massicyti solius nummi hi sunt : (Vide Koner. p. 107-108). Æ et Ar. Caput Apollinis vel Dianae laureatum cum vel Λ sine aut ΛΥ. — Lyra in quadrato, vel cerva ΛΥ-ΜΑ vel ΛΥΚΙΩΝ ΜΑΣΙ (vel ΜΑ).

Quibus ex causis singulares eae societates in sinu lycii Communis exortae sint dijudicare arduum est. Plures de re sententias exponam, neque ea quae objici possunt praetermittam.

1° Quidam ea monetalia pacta, utpote quae gallice *concordats monétaires* vocamus, fuisse arbitrantur, quibus nonnullae civitates fixum pecuniae commercium sibi pararent. Ut rem recentiori exemplo illustrem, hujusmodi ratione impulsi, anno 1825, septem helvetici pagi propriam sibi pecuniam feriendam communiter instituerunt, non exquisita helvetici Concilii sententia (1). Quo instituto nihil aliud petebatur nisi quotidiana mercaturae utilitas, omissa omni politica cogitatione. — Ne quis autem dissimilia conferendo fallatur, respiciendum est rerum monetalium statum valde in lycio atque in helvetico Communi discrepasse. Nempe anno 1825, communi pecunia helvetici socii nondum utebantur, quum quisque pagus proprios nummos, finitimorum pecuniae saepe dispares, sibi cuderet. Non mirum igitur si nonnulli pagi hoc incommodo sese liberare statuerunt. Eadem vero necessitudine nunquam Lycii urgebantur, quum iis communis pecunia exstaret, Rhodiorum modulo concisa. Itaque nulla ratio erat cur monetales societates apud eos instaurarentur, pecuniae aequandae specie.

2° Si quis monetales syntelias ex quibusdam sacris conventibus ortas existimet, scilicet illius modi de quo supra verba feci, difficultates minime solvet, temporum discrimine non observato. Nempe, si res ita se habuit, singularium nummorum simulacra a communibus discrepare oporteret. Imo contra, singulares nummi ad communem effigiem deficti apparent. Namque in nummis ejus synteliae, cui Cragus praefuisse videtur, eidem Apollinis Artemidisve vultus, eadem utriusque dei insignia, atque in communibus, praebentur. Pariter a ceteris synteliis nulla species ostenditur quae in communi pecunia inusitata

(1) Lenormant. *Monn. dans l'Antiq.*, II, p. 92.

fuerit. Qui porro dei a singularibus, iidem et ab universis colebantur ; nulla tunc temporis peculiarem sibi deum venerata syntelia videtur. Non igitur religionis causa neque divino quodam foedere illae urbes in amicitiam inclinatae sunt.

3° Aliter sensere qui (1) communem Lyciorum agrum in duas dioeceses divisum arbitrantur, scilicet Cragi et Massicyti. Eorum sententia, inscriptio ΛΥΚΙΩΝ-ΚΡ-ΤΕΛ nummos designat Lyciorum a dioecesi Cragi, Telmessum habitantium ; pariter, ΜΑ-ΜΥ, Lyciorum a dioecesi Massicyti, Myra habitantium. Cujus rei argumentum titulo oenoandeo affertur, ubi quidam ἀρχιφύλαξ ἐν τῇ πρὸς τῷ Κράγῳ συντελείᾳ proditur (2).

Haec enim syntelia quid fuit, nisi dioecesis Augusti aetate instituta ? Si quis primas Xanthi Myrorumque litteras juxta Cragi vel Massicyti nomina eisdem nummis inscriptas miretur, is reputet utramque urbem vicissim in utramque dioecesim recipi potuisse. Si Myra Crago nimis procul abfuisse arbitraris quam ut cum eo societatem fecerint, respiciendum est nomen Cragum non modo urbi, quae postea Sidyma appellata est, sed toti regioni, in qua Cragus mons porrigebatur, convenisse. Perinde igitur ac litterae ΜΑ vel ΜΑΣΙ totum Massicyti, ita ΚΡ totum Kragi jugum significant (3).

4° Ultima denique sententia, a plerisque probata, haec est : singulares illae societates utpote minora ex Communi dissidentia foedera habendae sunt. Quae, ut sui juris se esse profiterentur, propriam sibi pecuniam feriendam curaverunt. Ita enim nonnullae e boeotico Communi dissidentes urbes, anno circiter 300

(1) Six. *Rev. num.* 1886, IV, p. 436.

(2) Holleaux-Paris, *BCH*, 1886, X, p. 226.

(3) Treuber (*Gesch. der Lyk.*, p. 179, adn. 1) non sibi constat, quum de Massicyto rejicit quod de Crago probavit. Nempe si ex ΚΡ Cragum urbem fingis, cur non ex ΜΑΣΙ urbem Massicytum deducas ? Vice versa, si ex littteris ΜΑΣΙ totum montem significatum contendis, cur non idem ex ΚΡ ?

a. C. (1). Forsan post civile bellum, Xanthumque a Bruto oppugnatum anno 42, tota Lyciorum respublica ita turbata est ut circa urbem Cragum urbes Xanthus, Tlos, Aperlae, Myra, Trabala Pataraque singulari foedere glomeratae sint. Quibus causis, piratarumne seu militum metu, an adversae partis odio, ambiguum. Cragum autem caput adscivere, Xantho diruto, propter solitudinem urbis per saltus latentis (2). Utcunque autem res se habuit, varia socios fortuna jactavit, quum Xanthus Myraque ad alteram societatem, cui Massicytus praeerat, aliquatenus se contulerint. Qui motus, ni fallor, secundum hunc ordinem notandi sunt :

1° Xanthus cum Crago amicitiam fingit, metu Cassii Brutique, anno circiter 43 a. C.;

2° Delapsi Xanthi locum Aperlae Myraque obtinent, anno 42. Xanthus contra ad Massicytiorum societatem transit;

3° Xanthus redivivus ad Cragios regreditur, dum Myra ad Massicytios (Augusti aetate).

Varii ii motus ex urbium contentionibus orti sunt. Quaedam enim urbes partes mutavere ut ex obruta aemula emolumentum perciperent, sociisque imperium suum imponerent. Quanquam in illis singularibus nummis nunquam plura quam duo urbium nomina conjuncta apparent, quum Cragi nomen saepissime cum aliis plerisque conjunctum praebeatur, existimandum est omnes illas cum Crago syntelias simul eodemque tempore exstitisse, exceptis iis quae de Xanthi Myrorumque inconstantia supra notavi. Tanta fuit ejus societatis vis ut, etiam post provinciam factam, tanquam peculiaris dioecesis superfuerit, peculiari archiphylaci subjecta, ut ex oenoandeo titulo, supra commemorato, liquet.

Sociis autem, qui circa Massicytum glomerabantur, aliquando

(1) Lenormant. *Monn. dans l'antiq.* II, p. 91.

(2) Treuber. *Gesch. der Lyk.*, p. 207.

Myra praefuisse videntur. Praeter Myra Xanthumque, ejus societatis nullam aliam urbem participem novimus.

Praeter illas Cragiorum Massicytiorumque societates, alia quasi privata inter duas urbes foedera nonnullis nummis manifestantur, scilicet Patarae cum Xantho, Myrorum cum Apollonia. Quae valde a sympolitiis absunt. Nempe apud συμπολιτευομένους δήμους vicos praestantiori pago submissos videmus, ut ex ethnicis constat : Ἀπερλείτης ἀπὸ Ἀπολλωνίας (1), ἀπὸ Ἰσίνδων (2), Ἀκαλισσεὺς ἀπὸ Ἰδεβέσσου (3), Μυρεὺς ἀπὸ Τρεβένδων (4), dum in ea amicitia quam Patara cum Xantho, Myra cum Apollonia junxere, ex aequo utraque urbs propter commoda communiter tuenda societatem fingebat. Eodem modo amicitiam, quam Graeci ὁμόνοιαν vocabant, etiam tertio post C. n. saeculo, Patara cum Myris, Myra cum Side, pamphylia urbe, iteraverunt (5).

(1) Wad. 1297.
(2) *BCH.* 1894, XVIII, p. 547.
(3) *Bericht*, p. 13, I, n° 39.
(3) *Bericht*, p. 13, I, n° 38.
(4) *Bericht*, p. 18, I, n° 59.
(5) ΠΑΤΑΡΕΩΝ ΜΥΡΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ (Mionnet. III, p. 441, n° 62, (Gordian. Pius). — ΣΙΔΗΤΩΝ ΜΥΡΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ (Arigoni II, pl. 12, n° 36 (Valerianus senior). Ejusmodi pactum inter Myra Limyramque de maritimo commeatu nobis servatum est. (*CIG*, 4302, — add. 1136. — Wad. 1311).

CAPUT X

De liberi Communis exitio.

Cuncti illi nummi, de quo supra, Augusti aetate vel paulo ante usitati sunt, regnante etiam tunc apud Lycios monetali Rhodiorum modulo (1). Variae igitur illae societates iis temporibus, quibus in discrimine lyciae res versabantur, enatae sunt. Primas enim inter Lycios discordias civilia bella concitaverunt, quum in adversas Caesaris et Pompeii, Dolabellae et Bruti partes animi distraherentur. Occasione autem data, statim proprias inimicitias simultatesque explere nonnullae urbes properaverunt, ut Oenoanda, quam Bruto Xanthum oppugnaturo adstare minime puduit. Acerrima enim aemulatione invidiaque aliae alias prosequebantur. Cujus rei causae ipsis in communibus institutis requirendae sunt. Quum enim res humanae ita natura comparatae sint ut cum optimis pejora mìsceantur, sic in illa Lyciorum tam bene morata civitate jurgiorum semina inerant, quae fatale erat ut dubia per tempora erumperent.

Nempe plures ultimae classis urbes Metropolibus invidebant, seque in infima conditione haberi aegre ferebant. Natura ipsa quasdam olim praestantes in deterius labi statuerat, dum aliis, prius humilioribus, insigniora fata paraverat. Pataram Xantho feliciter aemulantem videmus, adjuvantibus fluvii Xanthi ostiis; postea autem, quum flumen, deserta paulatim Patara, ad occidentem vergeret, pataraeosque portus arenis impleret, Myra

(1) Caput Augusti in nummis Cragi-Telmessi atque Cragi-Tlos fingitur. — Cf. Lenormant. *Monn. dans l'antiq.*, II, p. 94.

Pataram detrudere inceperunt. Item Limyra, fluminis navium patientis beneficio, prosperrimas res assecuta, urbibus interius positis aliena evasit. Inde inter urbes infensa aemulatio exercebatur. Quae gliscentibus diffidebant, amicitiam inter se jungebant ut sua commoda communiter melius tuerentur : Myra cum Apollonia Xantho Pataraeque simul obversari vix tentaverant, extemplo Xanthus cum Patara contrarium foedus finxit. Ubi igitur communi Rhodiorum seu piratarum metu conjungi desiti sunt, Lycii in interiores discordias delapsi, communiaque instituta peculiaribus ambitionibus dissoluta sunt. Periit paulatim Concilii auctoritas, crevit societatum erga Commune licentia. Extremo, in tam exitiabilem rerum turbationem sese ingurgitaverunt, ut imperator Claudius eis libertatem adimendam anno 43 C. decreverit (1).

Minime autem mirum si ipsi Romani exitum hunc paraverunt. Nempe Romanis solitum fuit, salutis restituendae specie, gentibus abitrium suum imponere. Mentibus perite concitatis, gentium rebus tanquam liberatores sese immiscebant. Dio Cassius testatur in Lyciorum tumultu nonnullos cives Romanos occubuisse. Haud immerito censuit Treuber (2) eos ex illis italicis negotiatoribus fuisse, quos tam multi in provincias devolasse tituli nos docent. Qui rapinis efficiebant ut meritas contra se multitudinis iras accenderent. Ubi autem res suas in grave discrimen adductas videbant, ad senatum romanum confugiebant, rogabantque ut res gerendas susciperet. Jamdudum, ut opinor, Romanis in animo erat Lyciam ad communem asianarum gentium conditionem reducere. Sola enim in tota Asia minore nondum in provinciae formam

(1) Suet. *Claud*. 25 : « Lyciis, ob exitiabiles inter se discordias, libertatem ademit. » — Dio Cass. LX, 17 : τούς τε Λυκίους στασιάσαντας ὥστε καὶ Ῥωμαίους τινας ἀποκτεῖναι, ἐδουλώσατό τε καὶ ἐς τὸν τῆς Παμφυλίας νόμον ἐσέγραψεν.

(2) *Gesch. der Lyk.*, p. 205.

redacta erat. Quum autem Romanos puderet Lycios, tanquam pamphylios ciliciosve latrones, nimis aspere tractare, veteris amicitiae memores patientia usi sunt. Ubi autem causa exstitit cur privilegium hoc tollerent, Lyciam turbatam civesque romanos necatos praefati, reliquos ex animis suis scrupulos evellerunt. Lycia igitur, Pamphyliae adjuncta, legato Augusti pro praetore regenda commissa est.

PARS ALTERA

DE PROVINCIALI LYCIORUM COMMUNI.

CAPUT I

Quomodo ex libero in provinciale Lyciorum Commune versum fuerit.

Quas leges gentibus in provincialem conditionem receptis Romani attulerint sic summatim colligere licet. Summam sibi populus romanus potestatem vindicabat, cum imperio militari civilique auctoritate. Jus legum dandarum, judicia faciendi, militiam vectigaliaque exigendi, de pace belloque statuendi, pecuniam feriendi (1), de cunctis rebus sine arbitro decernendi, haec omnia populi romani, id est principis erant, Nulla igitur in provincia voluntas, nisi Caesaris; ibi Caesar summus judex omnipotensque rector. Ea ratione res ordinandas sic instituerunt. Usu autem, ubi Romani gentis cujusdam erga semet ipsos

(1) De Lyciae romanae moneta, vide Cavedoni. *Observat.* p. 11. — Mommsen, *Mon. rom.* III, p. 311. — Lenormant, *Monn. dans l'Antiq.* III, p. 152 et 162. — Lycia argentea denaria cudit, cum priscis lyciis simulacris, praesertim lyra Apollinis et principis effigie. Sed et aeneam pecuniam cudit, assis romani modulo, at lycii Communis nomine. Etenim aeneos nummos feriendi libertas provinciis omnino non adempta est. (Lenormant, *ibid.* p 154. — Guiraud, *Ass. prov.* p. 147 sqq.) Tales nummi ex Lycia, cum litteris ΛΥ, priores Claudii aetate, posteriores Gordiani III, exstant (Mionnet, III, p. 430, 432. Supplém. VII, p. 2). — Nummos ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ-ΛΥ, cum effigie Gallieni (Mionnet, III p. 432) ad Apolloniam Pisidiae referendos censuit Waddington. (*Rev. num.* 1853, p. 181).

fidem experti erant, priscam civitatis speciem vernaculaque instituta, quibus incolae antiquitus assueverant, conservare non dubitabant, dum summae Caesaris auctoritati accommodarentur. Etiam, nisi inde incommodum fieret, gentili nomini parcere solebant. Hoc modo, Lyciorum civitas, postquam ex libera provincialis facta est, tamen gens, id est ἔθνος, haberi Communisque formam retinere non destituit. In Pamphylia, altera ejusdem provinciae parte, gens altera alterumque Commune juxta Lyciam vivebat. Quousque domesticis moribus indigenarumque ingenio indulgere deceret, lege provinciae data statuebatur, quae peculiare provinciae institutum regebat. Quod ad forum agendum attinebat, praetor edicto definiendum curabat qua ratione ad juris romani principia gentilem consuetudinem aptaret.

Quae quum ita essent, provinciae Lyciae Concilium, si quidem Lyciae gentis civitatisque formam speciemque etiam nunc praebet (1), tamen prisci Communis nihil nisi faciem personamque, non vim neque animum, retinuit. Synedrium, penes quod res publica gerenda erat, in sacrum collegium vertitur,

(1) Epistolae imperatorum romanorumve magistratuum pariter τῷ λαμπροτάτῳ vel σεμνοτάτῳ Λυκίων ἔθνει seu τῷ κοινῷ τῷ Λυκίων inscribuntur, dum provincia ἐπαρχεία dicitur. Item, Lyciorum decreta tam κοινοῦ quam ἔθνους nomine conficiuntur : bina igitur vocabula unum idemque significant

Opr. IV B, 3. τῇ κοινῇ τοῦ ἔθνους ἀρχαιρεσιακῇ ἐκκλησίᾳ χαίρειν.
V E, 4. Epistola Sufenae Veri ad Lyciarcham : φιλοτειμίᾳ ἣν πρὸς τὸ λαμπρότατον ἔθνος ὑμῶν ἐπεδείξατο.
V F, 5. τὸ σεμνότατον ὑμῶν ἔθ[νο]ς.
VII A, 7. Epistola Senecae : τὸ κοινὸν [τοῦ ἔθνο]υς.
VII F, 16. Epistola Corn. Proculi : τῷ κοιν[ῷ Λυκίων χαίρειν].
VIII A, 12. id. id.
XI B, 12. Epistola Antonini imperatoris τῷ κοινῷ τῷ Λυκίων χαίρειν.
XI G, 2. id. id.
Opramoae studium περὶ τὸ ἔθνος laudat. (l. 9).
XII A, 1. Epistola Rupilii Severi τῷ κοιν[ῷ].
Ib., 12. id. Antonini id.
XII B, 3. Epistola Rupilii Severi ad Lyciarcham : ἡ κρατίστη τοῦ ἔθνους βουλή.
XII E, 9. Epistola Antonini τῷ κοινῷ τῶν Λυκίων.
Provinciae rector vocatur : κράτιστος τοῦ ἔθνους ἡγεμών. (*Ib.* 13).
XII G, 4. id id.

in caerimoniis arcte inclusum, aris templisque colendis quasi unicam operam dans, ad majorem dei Augusti deaeque Romae gloriam intentum. Itaque vocabulum hoc : Synedrium, non amplius usitatum videtur. Prisci magistratus, strategi navarchique, esse desierunt, vel, si nomina etiam tunc superfuere, eorum officia nulla erant.

De communibus tribunalibus nihil traditum : ea quoque periisse probabile est, quum in statis conventibus romanus praeses forum ageret. Quibus autem causis Romani provincialia Concilia non modo toleraverint, sed et creaverint, quomodo Augustorum atque imperatoriae Majestatis Providentiaeque cultum instauraverint, jamjam doctissimi viri mira prudentia dilucidaverunt (1). Generatim de hac re scribere nunc nobis supervacaneum. Hoc tantum nobis proposuimus ut ex titulis colligamus quae de Lyciae Concilio magistratibusque tradita sint.

Quo anno in provinciale Concilium vetus illud Commune versum fuerit accurate definire non licet. Quum enim Claudius, anno C. 43, Lyciam cum Pamphylia in unam provinciam componendam instituisset, quando propositum hoc in effectum venerit ignoratur (2). Primus in Lycia Augusti legatus Q. Veranius Philagrus, intra annos 43-49 nobis traditur (3). Deinde ab Eprio Marcello, qui in Lycia legatus intra annos 54-56 fuit, Lycii, anno 57, Nerone imperante, res repetierunt (4). Hadriani Antoninique aetate maxime viguit Lyciae provinciale Concilium. Ea aetate plurimi praestantissimique tituli ad nos pervenere, quorum gratia provincialia instituta nobis innotuerunt.

(1) Vide libros Guiraud, Beurlier, Carette, p. III, IV commemoratos.

(2) Anno C. 50 Pamphylian proprio procuratori submissam demonstravit Marquardt (*Ephim. epigr.* V. n° 33.) Quin autem is procurator totius provinciae legato paruerit nihil obstat.

(3) *Reisen.* I, n° 62. — Consul fuit anno C. 49 Benndorf ante consulatum eum in Lycia legatum fuisse arbitratur.

(4) Tacit. *Ann.* XIII, 33. — Wad. *Fastes de la prov. d'Asie*, n° 96. — Liebenam. *Verwaltungsgesch. des röm. Kaiserreichs.* p. 256.

CAPUT II

De communi Lyciorum senatu.

Senatum in lycio Communi exstitisse tituli testantur : ἡ κοινὴ βουλή, ἔδοξε τῇ κοινῇ τοῦ Λυκίων ἔθνους βουλῇ vel ἐννόμῳ βουλῇ (1), vel etiam κοινοβούλιον (2). Quibus quam multisque viris conflatus fuerit ignoramus. Valde autem probabile est praesertim insignes viros, summis magistratibus defunctos, scilicet flaminales, sacerdotales, lyciarchas, archiphylaces in communem curiam ingressos esse. Qui divitiis honoribusque simul illustrabantur, nobilitatem senatoriam in provincia fingebant : nonnulli enim Lycii γενοῦς βουλευτικοῦ oriundos se jactant (3).

Senatores autem βουλευταί vocantur. Qua autem ratione deligerentur, quamdiu munere suo fungerentur minime innotuit. Sed per totam vitam senatorium munus duravisse libenter existimem.

Certis sane temporibus Senatus conveniebat, qui in titulis ἔννομος βουλή designatur. Praesertim mensibus septembri, octobri,

(1) *Opr.* VII A, 13. — VII E, F, 1. — X B, 1. — XIII A, 1. — XIII F, 9. — XVI B, 3. — XVIII A, 2. — XVIII B, 6. — XVIII C, 5. — XVIII D, 5. — XIX D, 12. E, 10: F, 7 sqq. — *Sert. Hartel.* p. 3, III B. — κρατίστη τοῦ ἔθνους βουλή *Opr.* XII B, 3

(2) *Opr.* VI E, 3. — *Reisen*, II, p, 122.

(3) Hic provincialis ordo ; romanus enim senatorius ordo συνκλητικός dicitur.

novembrique eae legibus ordinatae sessiones indicantur (1). Unde consequitur ut cum communi Concilio (ἐκκλησίᾳ) congruerint, pluresque dies antea posteaque duraverint. Extraordinarias autem mense julio sessiones titulus cyaneus testatur.

Proprium quidem Senatus officium erat rogationes Concilio proponendas (προβουλεύματα) parare, scilicet de honoribus decernendis, de legationibus ad praesidem aut ad imperatorem mittendis, de magistratibus abeuntibus coronandis, de gratiis benevolentiae beneficiique erga Commune causa agendis. Effandi igitur facultas senatori cuiquam inerat. Auctor enim sententiae (εἰσηγητής) nonnunquam titulis designatur, nec non is qui in sententiam discessionem fecit (ἐπιψηφίζειν) (2).

Decreta senatus ut a Concilio sancirentur, nisi semper usitatum, tamen solitum.

(1) Tempora quibus senatum convenisse tituli testantur, ea sunt :
1 Artemisii (julii) — *Sert. Hartel* I. 20.
21 Panemi (septembris) *Opr.* XVI B, 4. — XVIII A, 2 : ἔννομος β.
26 Panemi (septembris) *Opr.* XVIII C, 5 : ἔννομος β.
? id. XVIII D, 5. — XX C, 9 : ἔννομος β.
12 Loi (octobris) — *Opr.* VI F, 13.
13 Loi (id.). — *Sert. Hartel.* III. B.
(?) Loi (id.) — *Opr.* VI C, 6;
23 (?) Loi (id.)— *Opr.* VI G, 10 : ἔννομος β.
16 Gorpiaei (novembris) ib. XXIII B, 5 : ἔννομος β.

Decreta senatus diem mensis nomenque flaminis, qui anni eponymus erat, indicant : *Opr.* XVIII A, 1 : ἐπὶ ἀρχιερέος Λικιννίου [Στασιθέμιδος ? Παν]ήμου κ[α΄]. — XVIII B. 5 : ἐπὶ ἀρχιερέος Ἰουλίου Τληπολέμου, Γορπιαίου ις΄. — XVIII C, 4 : [Ἐπ]ὶ ἀρχιερέος Μα[υσώλο]υ ? Νεικαγόρου, Πανήμου κς΄. — Cf. *ib.* n^{os} 57, 63, 68. et Swoboda. *Die griechischen Volksbeschlüsse.* p. 283.

(2) *Serta Hartel*, p. 3, III B : Τύχῃ ἀγαθῇ : προβουλευσ... εἰσηγησαμένου Γ. Λ. Φρόντωνος υἱοῦ Σε[κουν]δείνου (?), ἐπιψηφισαμένου δὲ Ὀπραμόου [το]ῦ Ἀπολλωνίου, ἔδοξε τῇ κοινῇ τοῦ Λυκίων ἔθνους ἐννόμῳ βουλῇ. ἐπεὶ... Τύχῃ ἀγαθῇ δεδόχθαι τῇ κοινῇ κτλ...

CAPUT III

De communi Concilio (ἐκκλησία).

Lycia provincia facta, Synedrium synedrosque Romani aboleverunt (1). Provinciale enim Lyciae Concilium ἐκκλησία titulis designatur.

Quibus quam multisque conflatum fuerit commune Concilium adhuc incertum est. Equidem existimem senatores (βουλευτάς), flaminales (2), cunctosque eos qui communibus magistratibus olim defuncti erant, magistratusque annuos (κοινοί ἄρχοντες), civitatium legatos, eosque qui magistratuum creatores (ἀρχοστάται) dicebantur, Concilii participes fuisse. Ἀρχοστάτων autem munus maximi momenti fuisse ex eo constat quod primi, prae senatoribus magistratibusque, in titulis nominantur (3).

In comitia conveniebant (τοῖς συνιοῦσιν εἰς τὰ κοινὰ τοῦ ἔθνους

(1) Titulus enim ubi Waddington (nº 1221) : τοῖς Συνέ[δροις καὶ] Λυκίων ἀρχοστάταις legerat, sic restituendus est, lapide rursus ab Austriacis reviso (*Reisen*. II, p. 121, adn. 5, et p. 184) : τοῖς συνε[λ]θοῦσιν Λυκίων ἀρχοστάταις.

(2) Flaminales Concilio aderant, quum flaminalium legationes a Concilio ad romanum praesidem saepius mitterentur, quae Concilii proposita sancienda ferrent. (Vide infra.) — Cf. Lex concilii Narbonensis : « *de honoribus ejus qui flamen fuerit :* in curia sua et concilio provinciae Narbonensis inter sui ordinis secundum le[gem electos legatos] sententiae dicendae signandique jus esto. »

(3) *Opr*. V H, 6 : καὶ ἐπιδοὺς τῷ ἔθνει ἀργυρίου δηνάρια πεντάκις μύρια καὶ πεντάκις χείλια, ὥστε τὸν κατ' ἔτος τόκον αὐτῶν χωρεῖν εἰς διανομὴν τοῖς συνιοῦσιν εἰς τὰ κοινὰ τοῦ ἔθνους ἀρχαιρέσια ἀρχοστάταις καὶ βουλευταῖς καὶ κοινοῖς ἄρχουσι καὶ τοῖς λοιποῖς τοῖς ἐξ ἔθους λαμβάνουσιν. — Cf. VI B, 12 : τοῖς ἀρχοστάταις [κα]ὶ τοῖς λοιποῖς τοῖς ἐξ ἔθους λαμβάνο[υσι]ν. — VI F, 4 et IX B, 10. — VI E, 3 : κατ' ἔτ]ος ἐν τῷ κοινοβουλίῳ διανέμεσ[θαι τοῖ]ς ἀρχοστάταις καὶ κοινοῖς ἄρχουσι κ[αὶ τοῖ]ς λοιποῖς ἐξ ἔθους λαμβάνουσιν.

Reisen II. p. 184. Nº 235. [Wad. 1221] : δόντα δὲ καὶ τοῖς συνε[λ]θοῦσιν

ἀρχαιρέσια ἀρχοστάταις) ; unde colligam ex iis legatorum quasi primorem ordinem exstitisse, qui non modo jus sententiam in Concilio ferendi dicendique haberent, sed et creandis magistratibus suffragium darent. Singulae igitur civitates proprios archostatas eligebant, sane inter principes (πρῶτοι, πρωτεύοντες), qui in communibus comitiis (ἀρχαιρεσιακῇ ἐκκλησίᾳ) ipsi communes magistratus eligerent (1). De ceteris autem legatis, quos in Concilium civitates mittebant, nihil compertum habemus. Verisimile est et eos inter primores cujusque civitatis fuisse delectos, scilicet inter eos qui divitiis praestabant municipalibusque muneribus jamjam functi erant. An legatorum suffragia in provinciali Concilio eadem ratione inter tres urbium classes impertita fuerint atque in prisco Synedrio, necne, nihil in titulis aperte testatur. Quum autem plures urbes tanquam Metropoles et πρωτεύουσαι (2) designentur, libenter existimem etiam provinciali aetate tres urbium classes superfuisse, Metropolesque cum urbibus primae classis congruere. Lycias autem Metropoles adhuc novimus : Xanthum, Pataram, Tlos, Telmessum, Myraque (3). Quas si primoribus urbibus conferimus, deesse Pinaram Olympumque,

Λυκίων ἀρχοστάταις καὶ βουλευταῖς καὶ κοινοῖς ἄρχουσιν (donatio Troïli Naevii).

Bericht. p. 22. N° 7, l. 23 (titulus Pinareus) : τοῖς μὲν τῶν ξενοκριτῶν [συνελθοῦ]σιν ? ἀνὰ ⊣ξ, π[ᾶσι δὲ βου]λευταῖς καὶ ἀρχοστάταις καὶ τοῖς τὰς κοινὰς τετελε[κόσιν ἀρχά]ς κτλ. . .

Ibid. II. N° 61, p. 47 : δόντα.... τῷ λαμπρ]οτάτῳ Λυκίων ἔθνει ἀργυρίου μύρια ἕνδεκα, ὧν ὁ τόκος χωρεῖ εἰς διάδοσιν ἀρχοστατῶν.

(1) Cf. in foedere Stiridis cum Medeonte (*BCH*, V, p. 45, l. 10) : εἶμεν τοὺς Μεδεωνίους πάντας Στιρίους, ἴσους καὶ ὁμοίους, καὶ συνεκλησιάζειν καὶ συναρχοστατεῖσθαι μετὰ τᾶς πόλιος τῶν Στιρίων (id est communiter magistratus eligere).

(2) *Opr*. IX F. 12. ἄλ[λαι]ς ἀξιολόγοις καὶ πρωτευούσαις [πόλεσ]ιν. — IX C, 9 : πανηγύρεις ἔν τισιν τῶν [πρωτευου]σῶν πόλεων. — 14 : πο[λιτείαις ἐ]ν ταῖς πρ[ω]τευούσαις πό[λεσιν].

(3) Xanthus metropolis : *CIG*. 4272, 4273, 4274 (Wad. 1257-8), 4276, add. — *Reisen*, I, 47, 74, 76, 78, 92, 96. = Patara : CIG. 4280, 4281, 4283. — *Reisen*. I, p. 161. — *JHS*, X. p. 80, n° 33. = Tlos. CIG. 4240 c. — Wad. 1266. — *Bericht* p. 47, n° 61, 5. — Myra *Bericht*. *ib*. l. 4. — Telmessus *BCH*, 1890 XIV, p. 172, 173.

Telmessum autem adjectam fuisse notabimus. Sed non committendum ut inania inde colligamus, quum sex Metropoles modo provinciali aetate exstitisse minime certum sit. Siquidem adhuc Pinara Olympusque in catalogo desunt, forsan nulla alia causa requirenda est, nisi titulorum inopia. Nuperrime enim titulus a nobis repertus Telmessum Metropolem fuisse testatus est (1). Tria autem civitatium genera in Asia provincia exstitisse, scilicet minores (τὰς ἐλάττους πόλεις), conventuum capita (τὰς ἐχούσας ἀγορὰς δικῶν), et Metropoles (μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν), Antonini ad Asiae Commune rescriptum nobis tradidit (2). Eadem in Lycia provincia partitio eo probabilior quo in libera Lycia antiquior erat.

Municipalia comitia ad legatos eligendos nonnullis ante mensibus conveniebant quam commune Concilium quo legati congressuri erant. Municipales enim, quae ἀρχαιρεσιακαὶ ἐκκλησίαι dicuntur, mense junio seu julio convenire solebant (3). Quin tunc archostatas legatosque suos civitates elegerint minime dubium.

Concilium autem ipsum totius Communis quotannis autumno agebatur (4). Cunctis enim Concilii decretis quae ad nos pervenere dies mensis Loi (octobris) adscripta est (5), excepto uno

(1) *BCH*, 1890, XIV, p. 172, 173.

(2) Modestin. *Dig.* XXVII, 1, 6, 2.

(3) *Eranos Vindob*, p. 91, n° 1. — *Serta Hartel*, p. 7. — *JHS* 1895, XV, p. 118. n° 1 (Acalissus).

(4) *Opr.* IX D, 11 (in decreto ἀρχαιρεσιακῆς ἐκκλησίας) : « τὰς δ[ὲ] τῶν κατὰ πόλιν καὶ κατ' ἔτος τειμῶν [αὐ]τοῦ εἰσγραφὰς γείνεσθαι ὑπὸ τ[ῶ]ν [κα]τὰ ἔτος εἰς τ[ὰ κατ'ἔ]τ[ος ἀρ]χαιρέσια. Πανήμου..

(5) *Tabula decretorum Senatus et Concilii, in quibus tempora indicantur :*

Opr. VA, 1. Decretum ἀρχ. ἐκλ. . . . . μη[νὸς Λώου] η' (8 oct. 131).
VI C, 6. Decretum ἀρχ. ἐκλ. et senatus Λώο[υ (oct. 133).
VI F, 12. *id.* . . . . Λώου ιβ' (12 oct. 134).
VI G, 10. *id.* . . . . Λώου κ[γ'? (23 ? oct. 135).
VII A, 2. Epistola Senecae ad flaminem Λώ[ου (oct. 137).
VII F, 13. Epist. Corn. Proculi ad κοινὸν. Πανήμου κ'.
Πρὸ ια' κα(λανδῶν)'Ο[κτω]νβρ[ίων (21 sept. 139).
VIII A. *id.* . . . . — (fin sept. 139).
IX D, 14 (N° 31). Decretum ἀρχ. ἐκλησίας. Πανήμου (sept. 139).
XVI B, Decretum senatus . . . . . . Πανήμου κά (21 sept. 144).
XVIII A (N° 60). Decretum senatus. . . . Παν]ήμου κ[α' (21 sept. 146).
XVIII B, 5 (N° 61). *id.* . . . . Γορπιαίου ις' (16 nov. 147).

quod mense Panemo (septembri) factum indicatur (1). Lycios autem eodem calendario atque Sidonios usos esse ex Hemerologio Florentino comperimus (2), scilicet apud eos civilem annum mense Loo, id est octobri, incepisse, atque Panemo (septembri), desiisse. Desinente porro septembri Lyciae Concilium cogebatur (3).

XVIII C, 4 (N° 62).	id.	Πανήμου κϛ′ (26 sept. 148).
XVIII D, 4 (N° 63).	id.	Πανήμου (sept. 149).
XX C, 9 (N° 68).	id	Πανήμου (sept. 152).
XIII A, 11. Decretum senatus ?		Γορπιαίου ζ′ (7 nov. 142).
Serta Hartel. III. B. ψήφισμ[α κοινοῦ]· ἔδοξε τῇ κοινῇ βουλῇ.		Λώου ιγ′ (13 oct. 146).
Eranos Vindob., p. 85, 3. — Ἰσγραφαὶ τειμῶν ἰς τὸ ἔθνος Μαυσώλου τοῦ Ἰάσονος καὶ ἀπόλογος τοῦ Λυκίων ἔθνους		Λώου ι[η′ (18 oct. 153?).

(1) *Opr.* N° 31.

(2) *Reisen.* II, p. 125.

(3) Lœwy (*Reisen.* II, p. 125) de re aliter censuit. Concilium vulgo mense Panemo habitum arbitratur; quoties vero posterior dies adscribitur, non diem esse qua decretum confectum est, sed qua in publicum tabularium relatum fuit, quo efficiendo saepe moras intercessisse. Equidem huic sententiae non possum quin repugnem. Nempe Lœwy Senatus Conciliique decreta non discrevit (*Reis.* II, p. 221). Si per plures dies Concilium actum fuisse accipis, scilicet intra ultimas Panemi mediasque Loi dies, difficultates solvuntur. Recte quidem Lœwy magistratus prima die creatos fuisse arbitratur, ut officium ineunte Lyciorum anno, id est prima Loi die (calendis octobr.) inaugurarent : Strabonis loco argumentum deducendum putat (XIV, p. 665): ἐν δὲ τῷ Συνεδρίῳ πρῶτον μὲν Λυκιάρχης αἱρεῖται, εἶτ' ἄλλαι ἀρχαὶ αἱ τοῦ συστήματος. His enim verbis, ni fallor, magistratus primo, infectis ceteris, creatos fuisse significatur, et, ubi magistratus creandos Synedrium adoriebatur, primum Lyciarcham delectum fuisse. Non aliter in prisco atque in novo Communi res agebantur. Namque, in libero Communi, magistratus vix electi munus suum initio lycii anni, scilicet prima die Loi (octobris) inaugurare potuerunt. In provinciali autem Communi, eadem necessitudo erat ut magistratus ante Loi initium designarentur, quia munus suum soli flamines, ut infra demonstrabitur, ineunte Romanorum anno, id est calendis Januariis, demum inaugurabant. — De Senatus decreto, cui mensis Gorpiaios (novembris) adscribitur, peculiariter res explananda est (vide infra p. 70) — Quod ad temporum notationem attinet, dies quá Concilii Senatusve decreta in tabularium recipiebantur nullius momenti erat. Erravit doctissimus Lœwy dissimilia conferendo. Namque, in imperatoriis epistolis saepe tempus notatur quo epistola a Communi recepta est. Haud perperam quidem. Nam plures menses intercedebant priusquam epistolae Romae scriptae in Lyciam pervenirent. Unde fit ut eis saepissime dies, qua Roma emissae sunt, diesque, qua lycii

Quum autem ejus sessionis peculiare munus esset communes magistratus eligere, κοινὴ ἀρχαιρεσιακὴ ἐκκλησία dicebatur. Per plures dies Concilium agi necesse erat. Nempe, peractis caerimoniis, decedentium magistratuum rationes sane recitabantur. Deinde novi magistratus ab archostatis designabantur, id est ἀρχαιρέσια habebantur. Postremo de rogationibus a Senatu propositis pronuntiabant, decretaque conficiebant quae romano praesidi sancienda per flaminalium legationes ad hoc designatas mittebant. Sanctionem autem per litteras praeses Concilio mittere solebat. Tunc demum Concilii sententiae decretoriae fiebant atque effectum consequi poterant.

Provinciae rector Concilio adesse solebat (1).

Ubi sessiones provinciale Concilium habuerit non certum. Ut autem priscum Synedrium vicissim in varias urbes convenire solebat, ita sane provinciale Concilium. Metropoles praesertim Concilii recipiendi privilegio fruitas esse non asseram, argumentis deficientibus. Caput autem Lyciae gentis nullum erat, quum nulla civitas prima Metropolis, tanquam Ephesus in Asia provincia (2), designetur.

Deliberationi praefuisse non modo Lyciarcham aut provinciae Flaminem arbitrer, sed et ceteros insignes viros qui sane ipso

magistratus eas receperunt, adscribantur. Abhinc enim demum Lyciis valebant. De decretis autem vernaculis non item; quibus dies adscribitur qua reipsa confecta sunt. Argumentum, quod ex temporum apud privatas Cyaneorum tabulas (*Eran. Vindob.*, p. 83 et 85) notatione deducitur, nihil valet.

(1) *Opr.* n° 28, VII G, 1. Epistola Proculi : καὶ παρὼν ἔ[γνωκα ὅτι...]. — VIII G, 11 : παρόντος καὶ τοῦ σεμνοτάτου ἡγεμόνος Κορν[ηλί]ου Πρόκλου.

(2) Πρώτη πάσων καὶ μεγίστη, πρώτη καὶ μεγίστη, μητρόπολις τῆς Ἀσίας. (Eckhel. II, p. 251. — *CIG*, 2968, 2988, 2990, 2992). — Patarae domicilium, ut videtur, provinciae rector, quando in Pamphylia non habitabat, legatique habebant. Patarae binae Corn. Proculi ad Commune epistolae scriptae sunt : (*Opr.* N° 28 et 29 : Ἐδόθη ἐν Πατάροις). Ibi plurimi latine scripti tituli, plurimique romani honorum cursus reperti sunt (*Bericht*, p. 24-25). Theodorus Bent (*JHS*, 1888, IX, p. 86) romani praesidis palatium in quodam « fine Roman palace » agnovit, idem sane quod « granarium » ceteri designant (*Reisen*, I, p. 114 et 116). Forsan et commune tabularium Patarae situm erat.

in Concilio ad hoc eligebantur (1). Jus autem rogationis proponendae legati cujusque erat, ut ex titulis liquet : εἰσηγησαμένου κτλ... (2). Plerasque rogationes jamjam Senatus praeparandas curaverat. Proposita autem emendandi vel nova proponendi facultas Ecclesiae non sublata. Nempe Opramoam videmus Senatus atque Ecclesiae propositis repugnantem (*Opr.* VIII G, 6) : [Ὀπ]ραμόου παραιτουμένου καὶ λέγοντος [ἀρ]κεῖσθαι ταῖς παρ' ἕκαστα δεδομέναις [καὶ ἐ]ψηφισμέναις αὐτῷ τειμαῖς, τοῦ δὲ ἔθνους παντ[ὸς] ἐν τῇ ἀρχαιρεσιακῇ ἐκλησια ἐπιμείναντος [σ]πουδ[ὸ]ῇ καὶ ἐπιβοησαμένο[υ π]ροθύμως.

Quomodo legati suffragia tulerint ignotum : vocabulum ψηφίζειν in titulis semper usurpatur, decretaque Concilii ψηφίσματα designantur (3). Aliquando autem vocabulis ἐπιβοᾶσθαι, ἐπιβόησις ad Concilii desiderium exprimendum utuntur (4). Quibus *acclamationem* quamdam significari docti viri censuerunt (5). Quum tamen non modo ab Ecclesia, sed et a Senatu ἐπιβόησις facta fuerit (6), existimem verbo ἐπιβόησις seu Senatus seu Ecclesiae postulationem significari, quae ad praesidem romanum sancienda referretur.

(1) Wad. 1224. — *Reisen*, II, p. 184, n° 236 : ἐπιψηφισαμένου Λὐρηλίου Μάσαντος δὶς, τοῦ Τρωίλου Βουβωνέος, γεγονότος ἀρχιφύλακος, ἔδοξεν κτλ.— Cf. Wad. 1221 : ἐπιψηφι]σαμένου δὲ Ἑρμαίου τοῦ.... α Τλωέως, ἔδοξε...

(2) Wad. 1224. — *Reisen* II, p. 184, n° 236.

(3) *Opr.* VII F, 13. — *Serta Hartel*, III B : ψήφισμα κοινοῦ. — Cf. Lex concilii Narbonensis (l. 10) : « qui flamen erit C[onciliumque per tabell]as ? jurati decernant, etc. »

(4) *Opr.* II F, 4; III G, 7; IV F, 3; V C, 7; VIII G, 10; H, 3; XII A, 2; B, 4. Ex. (*Opr.* III G, 7) : [τ]ὰ δὲ νῦν πάλιν ἐπιβεβοημένης τῆς κοινῆς τοῦ ἔθνους ἀρχαιρεσιακῆς ἐκλησίας τετειμῆσθαι αὐτὸν, συνκατέθετο καὶ ὁ κράτιστος ἡγεμὼν Τρέβιος Μάξιμος δι' ἧς γέγραφφεν ἐπιστολῆς. — *ib.* IV F, 3 : τὸ δὲ ἔθνος ἐπιβεβόηται πάλιν τειμηθῆναι αὐτὸν καὶ ἐν τῷ ἐνεστῶτι ἔ[τει ταῖς] τρίταις τειμαῖς καὶ πρευβευσαμένων τῶν ἀρχιερέων ὁ κράτιστος ἡγεμὼν συνκατέθετο. — *ib.* V C, 7.

(5) Lœwy. *Reisen.* II, p. 121. — Lévy. *Revue des Ét. gr.* VIII, p. 214.

(6) *Opr.* XII B, 3 : ἐπεὶ ἡ κρατίστη τοῦ ἔθνους βουλὴ ἐπεβοήσατο τὸ ψήφισμα διαγραφῆναι...

CAPUT IV

Quid in rebus publicis Concilium valuerit.

Parum in rebus publicis provinciale Concilium valuisse tituli testantur. Exceptis enim magistratibus suis creandis, honoribus decernendis, legationibus ad rectorem aut ad principem mittendis, rebusque sacris ordinandis, auctoritas nulla provincialibus concessa. Nullum enim propositum effectum consequi, nisi a romano praeside sancitum, poterat. Quum enim Lycii Opramoae, viro inter omnes nobilitate beneficiisque illustrissimo, insolitos honores decernere statuissent, Seneca praeses decretum sancire noluit honoresque vetavit (1). Saepius autem praesidis sanctio in decreto commemoratur. Concilio autem a praeside ad principem provocare permissum, legationesque Romam mittere. Etiam jus Concilio relictum ipsum praesidem laudandi aut apud principem senatumque accusandi, postquam abhinc sexaginta dies munere sese abdicaverat (2). Lycii, semel hac facultate usi, Eprium Marcellum, anno C. 50, frustra quidem, repetundarum accusaverunt (3).

Si a rebus publicis gerendis Concilium abstinebat, tamen de vectigalibus quibusdam partiendis consulebat. Haud semel enim praeses extraordinariam pecuniam ab Communi expetebat,

(1) *Opr.* N^is 24, 26, 28, 29, 30. De hac re infra vide.

(2) Dio Cass. LVI, 25.

(3) Tacit. *Ann.* XIII, 23 : « Pro Eprio Marcello, a quo Lycii res repetebant, eo usque ambitus praevaluit, ut quidam accusatorum ejus exilio multarentur tanquam insonti periculum fecissent. »

operis publici suscipiendi causa, Sic balneos Patarae exstructos, Communis sumptibus, videmus (Wad. 1265) : Αυτοκράτωρ.... Οὐεσπασι ανὸς..] τὸ βαλανειον κατεσκεύασεν [ἐκ] θεμελ[ι]ων σὺν τοις ἐν αὐτῷ προσκοσμήμασιν καὶ ταῖς [ἐξέδραι]ς ? [δ]ιὰ [Σέ]ξ[τ]ου Μαρκίου Πρείσκου πρεσβευτοῦ [αὐ]τοῦ ἀν[τ]ισ[τρ]α[τήγ]ου, [ἐκ τ]ῶν συν[ενεχ]θέντων χρημάτων [ἐ]κ [κοιν]οῦ ἔθνους [Λυκίων κ]αὶ τῶν ἀπὸ τῆς Παταρέων πόλε[ω]ς συντελειώσα[ν]τος καὶ ἀφιερώσαντ[ο]ς τὰ ἔρ[γ]α.

Quae χρήματα seu, ut doctissimus vir Guiraud arbitratus est (1), de provinciali arca detracta, sive tanquam vectigalia ab urbibus postulata fuisse existimem, postquam Concilium cuique stipendium praestandum statuerat. Item Marcius Naevius sua pecunia quoddam tributum Communi impositum solvit (2) : δόντα δὲ καὶ τά ὡρισμένα τῷ ἔθνει ἄλλα ✻ ΙΒΦ καὶ αὐτὰ ἐκ τῶν ἰδίων. Quae 2500 denaria, quum ab urbibus solvenda essent, Concilii erat ea inter urbes pro viribus partiri. Cum Communi ejusque magistratibus Augusti procuratores (ἐπίτροποι), qui provincialem fiscum administrabant, rem saepe habebant. Archiphylaces, ut videtur, fisco pro Communi vectigalium rationem debebant pecuniasque a Communi debitas ipsi ex suis opibus in antecessum fisco dabant, posteaque eas ab urbibus repetendas curabant. Unde fiebat ut et de procuratoribus et de Concilio optime mererentur (*B C H*, X. p. 225) : πληρώσαντα καὶ εἰς τὸ ἱερώτατον ταμιεῖον τοὺς ἱεροὺς φόρους καὶ τὴν πρᾶξιν ποιησάμενον ἐπεικῶς καὶ τειμητικῶς. — (*Opr.* II E, 10) : τὴν πρὸς τὸν φίσκον ὑπὲρ τοῦ ἔθνους εὐσέβειαν ἐκπληρῶν ἐν οἷς ποιεῖται προσεισοδιασμοῖς ἐκ τῶν ἰδίων, τῇ δε αναπραξει μετα πασης φιλανθρωπίας συναρχόμενος προσερχεσθαι. Qua proportione de his rebus Senatus Conciliumque consuluerint minime compertum est.

Proprios vero reditus propriamque arcam Communi fuisse probabile habeo. Tituli enim nos docent quantos sumptus

(1) *Ass. prov.* p. 144.
(2) Wad. 1221. — *Reisen*, II, p. 184, n° 235.

ipsa decreta imposuerint, scilicet statuas, imagines pictas, coronas aureas, titulos lapide seu aere inscribendos, legativa solvenda. Ex ipsis quoque rebus constat plurimas Concilio impensas incubuisse ut solemnia convenienter ageret, templa arasque exstrueret vel resarciret, sacrificiis ludisque subveniret. Unde necesse fit ut ad eas impensas solvendas pecunia alicunde percipienda praesto esset. Proprios autem reditus nonnulla templa ex fundis capiebant qui deorum erant. Quibus sacerdotes alere delubraque colere licebat. Sed iis ad publicos sumptus, praeter sacros, uti non fas erat. Necesse porro fuit ut civitates communem arcam alerent, cujus copiis communes impensae solverentur. Galliarum arcam cum suis magistratibus, et in Asiae Communi ἀργυροταμίαν τῆς Ασίας jamdudum novimus (1). Quin et apud Lycios provincialis arca exstiterit, non dubium. Unde forsan colligas ipsum Concilium singularum urbium *stipem* ita partitum esse ut quaeque pro viribus suis oneraretur.

Haud raro locupletissimi viri Communi inopiae propriis fortunis suppetias ibant. Etenim apud provinciales pro ingenio opulentia magni habebatur, iisque solis summos honores assequi licebat qui non modo suorum munerum impensas solvere, sed et donativa, congiaria, ludos civibus suis largiri valebant. Eos, nisi pectus, vanitas superbiaque munificos effecit. Ne enim, dispendii metu, honorum tribuendorum parcos cives experirentur, saepe avidae ambitionis sumptus ipsi suscepere, scilicet statuas sibi decreto tributas, imagines pictas, coronas, lapidesque incidendos, marmorum verbosa jactantia gaudentes, qua nomen suum beneficiaque ad posteros mandarentur. Sic Opramoas, honoribus quasi oppressus, communem arcam eorum impensis liberatam voluit (*Opr.* IX D, 4):

(1) Guiraud. *Ass. prov.* p. 140. — Carette. *Ass. prov. de la Gaule rom.* p. 170. — Monceaux *De Communi Asiae*. p. 81.

Τὰς δὲ τῶν ἐ[ψηφισμέν]ων ἀνδριάντων ἀναστά[σεις ὀ]φειλούσας γενέσθαι κτλ., ἐπηγγείλατο δ [τ]ειμώμενος Ὀπραμόας ἐκ τῶν ἰδίων ποιήσασθαι, μηδὲ ἐν τούτῳ βουλόμενος βαρεῖν τὸ ἔθνος. Quibus ultimis verbis dilucide significatur communem arcam exstitisse.

Turgidas autem erga se civium gratias nonnulli lacessebant, si Concilio pecuniam quamdam donarent cujus annuae usurae (τόκος) quotannis singulis distribuerentur. Sic Opramoas, dum archiphylax erat, Communi 55 000 denarios in perpetuum largitus est, quorum usurae cunctis dispensarentur qui annuis comitiis adessent, scilicet archostatis, senatoribus, communibus magistratibus ceterisque legatis (1). Pariter Troilus Naevius (2), Licinniusque Longus (3). Quae donativa Communi ipsi dono donabantur, id est communi arcae (4). Unde dilucide consequitur Communi, id est τῷ κοινῷ sive τῷ ἔθνει, utpote collegio vel universitati cuiquam, dona accipiendi facultatem concessam fuisse (5).

(1) Vide supra, p. 56, adn., 3 et *Opr*. VIII E, 15 : χαρισά]μενος τῷ κοι[ν]ῷ [δω]ρεὰν ἀργυρίου (δηναρίων) [πενταχὶς] μυρίων καὶ πεντα[κὶ]ς χειλίων, ἐξ ἧς [δίδοται εἰς] τὸ διηνεκὲς [τοῖς τῆς διανο]μῆς μεταλαμβάνου[σι]ν.

(2) *Reisen*. II, p. 184, n⁰ 235. — Wad. 1221.

(3) *Bericht*. p. 47, II, n⁰ 61. — *Ibid*. p. 22, I, n⁰ 7. Vide supra p. 56, n⁰ 3.

(4) *Opr*. V H, 6 : καὶ ἐπιδοὺς τῷ ἔθνει. — VI B. 10 et IX B, 7 : κεχαρισμένον τῷ ἔθνει. — VIII E, 15 : χαρισά]μενος τῷ κοινῷ [δω]ρεὰν ἀργυρίου, et IX G, 5, ubi. post civitates donatas, et Commune donatum commemoratur : κοινῇ τε τῷ ἔθνει ἀΐδιον δωρεὰν κεχάρισται. — Cf. *Bericht*. II, p. 47, n⁰ 61 : δόντα τῷ λαμπροτάτῳ Λυκίων ἔθνει ἀργυρίου...

(5) Exempla nostra nondum Paulo Guiraud innotuerant quum paginam 137 libri sui exscripsit.

CAPUT V

De decretis a Communi conditis.

Senatus Ecclesiaeque decreta ψηφίσματα designantur. Quorum plura genera ex variis praefationum formulis discernenda sunt (1).

1°) *Senatus decreta.*

In eis regulariter anni, id est flaminis eponymi, mensis dieique mentio fit, quibus Senatus habitus est, cujusque speciei sessio fuerit, praesertim quando ἔννομος βουλή erat.

Ex : *Opr.* XVIII B, 5 (N° 61) : Ἐπὶ ἀρχιερέος Ἰουλίου Τληπολέμου, Γορπιαίου ιϛ'. Ἔδοξε τῇ κοινῇ τοῦ Λυκίων ἔθνους ἐννόμῳ βουλῇ· ἐπεί κτλ. — Τύχῃ ἀγαθῇ δεδόχθαι κτλ (2).

Saepe autem, brevitatis causa, eponymi, mensis dieique mentio deest (3).

2°) *Concilii* (ἐκκλησίας) *decreta.*

In his quoque eponymus, mensis, dies conventusque genus indicantur, scilicet quando ἀρχαιρεσιακὴ ἐκκλησία fuit.

(1) Swoboda. (*Volksbeschlüsse*, p. 282-283) de hac re summatim nec penitus scripsit.

(2) Cf. et *Opr.* N^is 26, 52, 53, 57, 60, 62, 63, 68.

(3) *Opr.* N^is 27, 33, 54, 56, 64, 65, 66, 67, 69. Senatus decretis etiam N^us 56, cui praefatio deest, nec non N^i 55, 58 et 59 sunt adjungendi. Item decretum in *Sert. Hartelian* p. 3, III, B, cui adscribitur : φ]ήφισμ[α κοινοῦ...] : ἔδοξε τῇ κοινῇ τοῦ Λυκίων ἔθνους ἐννόμῳ βουλῇ. — δεδόχθαι τῇ κοινῇ τοῦ Λυκίων ἔθνους ἐννόμῳ βουλῇ, quod decretum probouleumaticum habeo.

Opr. N° 12 : [Ἐπὶ ἀρχιερέος Λουκίου] Οὐειβηρεί[νου],.. mensis... [ἔδοξε τῇ κοινῇ το]ῦ Λυκίων ἔθν[ους] [ἀρχαιρεσιακῇ ἐκλησίᾳ ἐπεὶ κτλ..· ἀγαθῇ τύχῃ δεδόχθαι, τετειμῆσθαι αὐτὸν ὑπογεγραμμέναις τειμαῖς· Λυκίων τὸ κοινὸν ἐτείμησεν κτλ.

N° 15 : eaedem formulae.

N° 17 : [Ἐπὶ ἀρχιερέος] Κλαυδίου Μαρκιανοῦ, μη[νὸς...] η'· ἔδοξε Λυκίων τῇ κοινῇ [ἀρχαιρεσιακ]ῇ ἐ[κλ]ησίᾳ· ἐπεὶ κτλ. (Eadem formula terminatur).

N° 20 : Ἔδοξε [Λυκίων τῷ κ]οινῷ ἀρχαιρεσιακῆς ἐκλησίας [ἀγομένης ?· ἐπε]ὶ κτλ... Δεδόχθαι Λυκίων τῷ κοινῷ τετειμῆσθαι αὐτὸν ὡς ὑπογέγραπται· Λυκίων τὸ κοινὸν ἐτείμησεν κτλ.

Reisen. II, p. 184. N° 236. — Wad. 1224 : Εἰ]ση[γη]σαμέ[ν]ου Μάρκου Αὐρηλίου Τρωίλου Μά[σ]αντος τοῦ Τρωίλου κτλ. — ἐπιψηφισαμένου Αὐρηλίου Μάσαντος κτλ., ἔδοξεν τῇ κοινῇ τοῦ Λυκίων ἔθνους ἀρχ[αι]ρεσιακ[ῇ] ἐκλ[η]σίᾳ· ἐπεὶ κτλ. — διά ταῦτα δεδόχθαι Λυκίων τῷ κοινῷ τετειμῆσθαι κτλ[. Conclusio abest : Λυκίων τὸ κοινὸν ἐτείμησεν].

Ejusdem generis sunt *Opr.* Nus 5 et Nus 30 qui, ut ex VIII G, 9 constat, ab Ecclesia confectus fuit, haud secus ac Wad. 1221 : Εἰσηγησα[μένου..., ἐπιψηφι]σαμένου δὲ τοῦ Ἑρμαίου..., ἔδοξε Λυκίω[ν τῷ κοινῷ ἐπεὶ κτλ. — δεδόχθαι Λυκίων τῷ κοινῷ κτλ. — Λυκίων τὸ κοινὸν ἐτείμησεν.

3°) *Senatus una cum ecclesia decreta.*

Opr. N° 21 : Ἐπὶ ἀρ[χιερέος... Λικιννίου] Λόγγου,... Λώο[υ., Ἔδοξε τῇ κοι]νῇ τοῦ Λυκ[ίων] ἔθνο[υς ἀρχαιρεσιακῇ ἐκ]λησίᾳ καὶ βο[υλῇ]· ἐπεὶ κτλ. Λυκίων τὸ κοινὸν καὶ ἡ βουλὴ ἐτείμησεν κτλ.

N° 22 : Ἐπὶ ἀρχιερέος Δημητρ[ί]ου τοῦ Εμβρόμου, Λώου ιβ'· ἔδοξε τῇ κοινῇ τοῦ Λυκίων ἔθνους ἀρχαιρεσιακῇ ἐκλησίᾳ καὶ βουλῇ· ἐπεὶ κτλ... τύχῃ ἀγαθῇ δεδόχθαι τετειμῆσθαι αὐτὸν.. καὶ συνγεγράφθαι τόδε τὸ ψήφισμα.

N° 23 : Ἐπὶ ἀρχιερέος Κιλλόρτου τοῦ Πιγρέους, Λώου κγ' (?). Ἔδοξε τῇ κοινῇ τοῦ Λυκίων ἔθνους ἀρχαιρεσιακῇ ἐκλησίᾳ καὶ ἐννόμῳ βουλῇ· ἐπεὶ κτλ.

Eidem generi sane attribuendum est decretum cujus praefatio deest (*Opr.* N° 5).

Decreta Senatus breviora esse solent quam ab Ecclesia sola seu ab Ecclesia una cum Senatu confecta decreta. Causarum expositio, quam Graeci τὸ αἴτιον, Galli « *les considerants* » vocant, minus verbosa copiosaque in eis praebetur. Deest quoque totius sententiae epitome (τὸ κοινὸν ἐτείμησεν κτλ), quae sejunctim saepe in statuarum ipsius decreti effectu erectarum basibus inscripta invenitur.

Forte requiras an Senatus decreta per se ipsa valuerint, quando ea Ecclesia non rata est. Etenim quum semel quotannis Opromoae renovandos honores Concilium tribuisset, annua decreta a Senatu facta sunt, in quibus formula haec usurpatur : δεδόχθαι τετειμῆσθαι αὐτὸν ἐν τῷ ἐνεστῶτι ἔτει καθὼς τὸ ἔθνος ἐψήφισται καὶ συνγεγράφθαι τόδε τὸ ψήφισμα. Vice autem versa, in nonnullis Ecclesiae decretis nullam probouleumatis mentionem invenias : unde forte colligas Ecclesiam jure suo, inconsulto Senatu, id est ἀπροβουλεύτως statuisse. Etsi, fateor, minime mirum sit, si illa provincialia instituta paulisper ab antiquis publici juris principiis deflexerint, quum minoris momenti, sublata omni politica potestate (1), res tunc fuerit, tamen singula accurate indagare opus est.

Etenim, si insolita quaedam in titulorum formulis occurrunt, plurima exempla notanda sunt, ex quibus facile nobis fingamus quomodo res rectius processerint. Qui processus hic fuit. Senatus rogationem, id est προβούλευμα, proponebat, de quo postulationem (ἐπιβόησιν) praesidi romano sanciendam Ecclesia ferebat. Non aliter de proedria, purpura annuisque Opromoae

(1) Compertum est, in Asiae minoris civitatibus, Antoninorum aetate, Senatum ubique populo ita praestitisse ut saepissime popularis contio nihil valuerit (Lévy. *La vie municipale en Asie Mineure*. *Rev. Et. gr.*, VIII, p. 214 sqq.)

honoribus, anno 132, actum est (1). Nempe epistolam romanus rector Sufenas Verus Lyciarchae Ma(rciano?) scripsit (N° 19), qua Senatus probouleuma postulationemque ecclesiae probat : ὀρθῶς ἐποίησεν ἡ κοινὴ β[ουλ]ὴ ἀξ[ιώ]σασα πορφύρᾳ καὶ προεδρίᾳ καὶ [ταῖς κ]ατὰ [ἔ]τος αὐτὸν τειμῆσαι τειμαῖς, ὁ[ρῶ δὲ αὐ]τὸς προθύμως τὰ δεδογμένα τῇ [βουλῇ] (2). Cui epistolae in lapide subit ratum firmumque Ecclesiae decretum (Nus 20) quo commemoratur postulationem a flaminalium legatione romano praesidi sanciendam allatam, epistolaque Sufenae Veri probatam fuisse : denique Opromoae honores confirmantur. Hic igitur processus erat :

1° Senatus rogatio.

2° Ecclesiae postulatio.

3° Legatio flaminalium ad provinciae praesidem, seu epistola Lyciarchae vel Flaminis sanctionem poscentis.

4° Epistola praesidis cum sanctione (3).

5° Ratum firmumque Ecclesiae decretum, quo flaminalium rogatio praesidisque sanctio commemorantur, honoresque confirmantur.

Alterum rei exemplum producere mihi liceat. Quum Lycii insolitos Opramoae honores decernendos statuissent, praesesque Seneca hoc facere vetavisset (N° 24), res ad imperatorem relata est (N° 26). Probante autem Lyciorum sententiam principe, Corn.

(1) *Opr.* N° 20.

(2) Ἐκλησίᾳ restituerat Lœwy (*Reisen*, II, *Opr.* V F, 10) ; rectius autem Heberdey βουλῇ.

(3) Legatio sanctioque hac plerumque formula commemorantur : καὶ πρεσβευσαμένων ἀρχιερέων ὁ κράτιστος ἡγεμὼν συνκατέθετο δι' ἧς γέγραφφεν ἐπιστολῆς. (*Opr.* II F, 5. — III G. 9. - IV F, 5. — V C, 10. — VI A, 13). — Lyciarcham autem vel Flaminem ad praesidem de sanctione scripsisse ex pluribus testimoniis constat : *Eran. Vindob.* p 86 : ἐπιστολὴ Λικιννίου Στασιθέμιδος λυκιάρχου Φλαυίῳ Ἄπρῳ ἡγεμόνι καὶ ἀντιγραφὴ Ἄπρου. — p. 84 : ὑποταγὴ ἐπιστολῆς Κλαυδίου Ἀντιμάχου (Lyciarchae anno 149) Οὐωκωνίῳ Σάξᾳ περὶ τειμῶν καὶ ἀντιγραφὴ Σάξα καὶ ἰσγαφαὶ καὶ τειμαὶ ὑπὸ τοῦ ἔθνους. — Cf. *Opr.* VIII H, 5 : κα[ὶ τοῦ ἡγεμόνος] εἰς ἃ [ἐπεστάλη]ν (?) αὐτῷ ὑπὸ τ[οῦ ἀρχι]ερέος ἀντιγεγραφφότος ἀκολούθ[ως τῇ τοῦ Ὀπραμόου πι]στότητι καὶ τῇ τοῦ ἔθν[ους] γνώμῃ.

Proculus, Senecae successor, priorem genti epistolam scripsit (1), cui lycii romanique calendarii dies adscribuntur (Πανήμου κα', πρὸ ια' καλανδῶν Ὀκτωνβρίων = 21 sept. 139), qua quidem principis opinionem ita patefacit ut Senatum ad rogationem Ecclesiae proponendam hortetur. Altera enim epistola honores a Concilio postulatos probat (2) : unde consequitur, priore epistola recepta, a Senatu rogationem Ecclesiae propositam fuisse, dein ab Ecclesia postulationem factam, quam praesidi sanciendam per epistolam Flamen retulit (3), denique, responso praesidis recepto, ratum firmumque decretum confectum fuisse, quod in lapide secundum alteram Proculi epistolam nobis conservatum est (4). Quum mense Panemo nondum exacto confectum fuerit (5), haec omnia intra diem 21 finemque ejusdem mensis peracta sunt.

Quando autem de annuis honoribus agitur, ii Senatui renovandi committuntur, perque breve Senatus decretum quotannis renovatio fit, cum formula : καθὼς τὸ ἔθνος ἐψήφισται. Unde consequitur praesidis Ecclesiaeque sanctionem non quotannis quoque renovari, sed, ubi semel data erat, in perpetuum ad haec valuisse. Argumentum deducam ex eo facto quod plerisque hujuscemodi decretis dies vicesima seu vicesima una mensis Panemi adscribitur, scilicet eadem atque Proculi priori epistolae (6). Quum autem hanc epistolam ineunte autumnali Concilio scriptam fuisse liqueat, colligam illa annua decreta prius a Senatu confici solita esse quam novae rogationes Ecclesiae proponerentur, scilicet Ecclesia nondum coacta. Bis quidem mensis Gorpiaei (novembris) dies senatoriis illiusmodi decretis

(1) *Opr* N° 28.

(2) *Opr.* N° 29, VIII A, 6. : καὶ πάλιν τειμὰς Ὀπραμόᾳ... ἐψηφίσασθε... καὶ ἀξιοῦτέ με συνκαταθέσθαι, διὸ ἀμφότερα συναινῶ.

(3) Vide supra p 69, adn. 3 ad finem. (*Opr.* VIII H, 3, 6).

(4) *Opr.* N° 30.

(5) *Opr.* N° 30, IX D, 14. ad finem : Πανή[μου... dies deest.]

(6) *Opr* XVIII A, 1. — XVIII C, 4. — XVIII D, 4. — XX C, 10

adscriptas videmus (1). Ea autem enormitate nostra lex confirmatur. Nempe tunc Senatui novas rogationes paraturo tempus sane defuit ut illa annua decreta ante expediret quam Ecclesia convenerit. Quum autem de his ecclesiae non jam consulendum esset, ea conficienda post Ecclesiam dimissam Senatus distulit.

Utut autem res sese habuit, ex eo quod pleraque ejusmodi annua decreta e Senatu orta sunt, non est colligendum nihil tum Ecclesiam valuisse. Nempe ea Senatus non suo jure conficiebat, sed postquam Ecclesia ea suo decretario psephismate semel in perpetuum sanxerat.

Versa autem vice, ubi in propriis Ecclesiae decretis nulla Senatus mentio fit, num consequitur nullam Senatui auctoritatem esse relictam, suoque jure, inconsulto Senatu, Ecclesiam statuisse? Equidem non ita sentio. Namque : 1°) decreta quibus praefatio est : ἔδοξε τῇ κοινῇ ἀρχαιρεσιακῇ ἐκλησίᾳ, fere cuncta praesidis sanctionem commemorant. Quae igitur rata firmaque decreta habenda sunt, id est postulatione (ἐπιβόησις, προαίρεσις), nec non probouleumate, ad obtinendam sanctionem praeparata. 2°) Probouleumatis praetermissio cum norma congruere cuique rhodiapolensem de Opramoa titulum respicienti videbitur (2). Nempe si Sufenae Veri epistola N° (19) Senatum Ecclesiamque jamjam de re consuluisse non nos docuerat, decretum ipsum, quod huic epistolae (3) subit, de probouleumate et de Ecclesiae postulatione ita silet, ut Senatum ab hoc proposito omnino alienum perperam putaremus. Nemo porro committet ut Senatum nullum fuisse arbitretur, quia nonnullis decretis abest. Apud enim Athenienses similia notantur (4) : nullum autem fallit atheniensi Ecclesiae nihil, nisi rogatum, decernendi facultatem fuisse (5).

(1) *Opr.* XIII A, 11 (N° 53) et XVIII B, 5 (N° 61).
(2) *Opr.* III D, 4 (N° 12) ; IV C, 7 (N° 15) ; V A, 3 (N° 17) ; V F, 12 (N° 20) ; VIII B, 1 (N° 30).
(3) *Opr.* N° 20. — Vide supra, p. 69.
(4) Hartel. *Studien über attisch. Staatsrecht u. Urkundenwesen*, p. 59 sqq.
(5) Aristot. Ἀθ. πολιτ. 45, 4 : ἀπροβούλευτον οὐδέν. — Plut. *Sol.* 19.

Decreta autem ubi Senatus cum Ecclesia conjunctus nobis occurit (ἔδοξε τῇ κοινῇ τοῦ Λυκίων ἔθνους ἀρχαιρεσιακῇ ἐκλησίᾳ καὶ βουλῇ), ea sane insolita, non consueta, ducenda sunt. Namque brevitate formularumque habitu annuis senatoriis, de quo supra, decretis proxima ea videntur. Equidem unius ejusdemque generis utraque fuisse existimem. Nempe animadvertendum est tria decreta, quibus praefatio illa adscripta est, continuo ordine in lapide cohaerere, nullo alio interjecto (1). Quae tria, mense Loo (octobri) confecta, ad annos 133, 134, 135, referenda sunt, per quos Opramoas honorum cursum adortus est. Quum enim anno 125 primum archiphylax fuisset, paucos post annos, id est anno 131, Communi 55 000 denaria dono dedit. Abhinc, quotannis honores ei decernebantur hoc modo : Senatus rogationem de re Ecclesiae proponebat, quae, omissa omni disceptatione, eam ratam efficiebat. Inde brevia decreta orta sunt, nomine Senatus atque Eccesiae simul confecta. Gliscentibus autem annis, breviore processu usi sunt, postquam Ecclesia eadem quotannis sancire pro supervacuo habuit. Itaque ab anno 137 (2) annuos honores Senatus solus suis propriis decretis conferendos, ut supra dixi, curavit.

Ne plura dicam, hoc modo plerumque res in Communi agitabantur : nihil, nisi a Senatu prius inchoatum rogatumque, Ecclesia decrevit ; nulla autem sententia decretoria valuit, nisi a romano praeside atque ab Ecclesia, seu quoties opportuit, seu semel in perpetuum, firma rataque effecta.

(1) *Opr.* Nis 21, 22, 23. — De praefatione Ni 32 nihil certum, quum omnino deleta fuerit.

(2) Opramoas, anno 136, flamonium explevit insolitosque honores inde meritus est : his igitur decernendis (quum Seneca, provinciae rector, eis obstitisset) Concilium totam abhinc operam dedit.

CAPUT VI

De communibus magistratibus : quo tempore munus suum inauguraverint.

De communibus Lyciorum magistratibus plurimi honorum cursus certiores nos faciunt. Ut supra dixi, ab archostatis in comitiis (ἀρχαιρέσια, ἀρχαιρεσιακὴ ἐκκλησία) creabantur, quae quotannis desinente mense Panemo (septembri) conveniebant.

Candidati plerumque ex Lyciis principibus (πρῶτοι, πρωτεύοντες), id est locupletissimis viris, eminebant. Eos jam munipalium rerum tractatio (πολιτικαὶ ἀρχαί) in patria civitate (πατρίς) nobiles fecerat. Inter cujuscumque urbis cives, dum facultates haberent, designari poterant : variis enim ex urbibus, nec non e minimis, magistratus ortos tituli testantur. Qui comitiorum suffragia aucupaturus erat, ipse sese Ecclesiae praebebat, totaque opera moliebatur ut archostatas pelliceret, sui generis claritatem jactans, majorum egregia facta numerans, suas facultates, sua merita, amicitiam praesidis principisve, sua erga Commune beneficia laudibus extollens, sese magnificum fuisse commemorans largioremque fore promittens : donativa, ludos, circenses pollicitus, suum quasi commune patrimonium fore profitebatur. Non deerant amici qui ejus ambitui auxiliarentur. Saepe pater filium suum eligendum praebebat, se muneris impensas sublaturum spondens. Aliquando ipsum romanum praesidem, qui comitiis aderat, non pudebat candidato

aperte favere : sic Vettonianus se Apollonio I, filium suum Apollonium II praebenti, adstitisse fatetur (1). Praesidis enim magni intererat ut magistratus crearentur qui opibus habituque flamonium Augustorum illustrarent, ne ipse principem digne colendum negligere videretur. Haud dubio, magistratus designatos probandi seu infirmandi jus praeses habuit (2).

Quando autem, sumptuum metu, provinciales sacerdotium magis effugere quam ambire in animo habebant, qui sponte sua (ἐθελόντως) ut supra Apollonius I, suffragia consectabantur, civium gratiam principisque favorem sibi conciliabant (3).

Magistratus autumnalia comitia in annum creabant. Equidem sententiam doctissimi Lœwy improbare nequeo, qui a designatis desinente Panemo (septembri) magistratibus munus sine mora initio lycii anni, id est ineunte Loo (octobri), inauguratum fuisse contendit. Sed, quod ad eponynum Augustorum Flaminem attinet, a veteri majorum consuetudine Lycios deflexisse arbitror. Nempe, ex nuperrime repertis titulis constat, aetate provinciali, Lycios, cum proprio civili anno, et romano anno ita usos esse, ut eponymus Flamen una cum romanis consulibus calendis januariis munus capesseret. Hoc modo eponymum provinciae flamonium cum consulatibus apte congruebat.

Argumenti gratia, hujusmodi titulos producam. In titulo Cyaneis reperto, tabulae gentis cujusdam privatae inscribuntur, scilicet ad honores a Jasone Panoecio expletos pertinentes (4).

(1) *Opr.* N° 14, IV B, 7. Vettoniani epistola ad Ecclesiam : ὃ[ς] ὑμεῖν ἀρχιερέα τὸν υἱόν ἐθελόντως παρ[έσχ]ηται, καὶ αὐτὸς παραγενόμενος φιλο[τειμου]μένῳ καὶ ἀνιέντι ὑμεῖν τὸν ἑαυτ[οῦ πλοῦτον], εἰς κοσμὸν τῆς τοῦ ἔθνους ἀξ[ίας μαρ]τυρῶ.

(2) Ut autem ipse inter plures a comitiis designatos aliquem nuncupaverit non arbitror. (Guiraud. *Ass. prov.* p. 84. — Beurlier. *Culte des emper.* p. 138.)

(3) Eo quidem anno 128, imperatorem Hadrianum Lycii exspectabant : procurator Augusti Caelius Florus Opramoae scripsit ut omnia pararet ad principem digne excipiendum (*Opr.* N° 13). Forsan impensarum metus candidatos tunc a flamonio deterruit (Heberdey. *Opr.* p. 63).

(4) *Eranos Vindobon.* p. 84. — Heberdey. *Opr.* p. 64.

Acta autem publica, in quibus de Jasone refertur, per annos ordinantur, ad quos designandos eponymi Flaminis romanorumque consulum nominibus simul usi sunt; dies ei sunt quibus, acta illa in cyaneum tabularium delata sunt.

(Nomina consulum hic periere) : Ἐπὶ ἀρχιερ]έος τῶν Σεβαστῶν Γαίου Ἰουλίου Τληπολέμου, μηνὸς Δύστρου θ′ (9 maii 147) ὑποταγὴ ἐπιστολῆς Κλαυδίου Ἀντιμάχου Οὐωκωνίῳ Σάξᾳ περὶ τειμῶν, καὶ ἀντιγραφὴ Σάξα, καὶ ἰσγραφαὶ καὶ τειμαὶ ὑπὸ τοῦ ἔθνους Ἰάσονι Πανοικίῳ.

Ἐπὶ ὑπάτων Σαλβιδηνοῦ Σκιπίωνος Ὀρφίτου καὶ Σοσσίου Πρείσκου (U. C. 902. = 149 C.), ἐπὶ ἀρχιερέος τῶν Σεβαστῶν Οὐηρανίου Τληπολέμου μηνὸς Δείου γ′ (3 januar.), ὑποταγαὶ ψηφισμάτων Μυρέων καὶ ἐπιστολῆς Ἰουλίῳ Αὐείτῳ καὶ ἀντιγραφῆς Αὐείτου καὶ ψηφισμάτων Παταρέων, Ἀπερλειτῶν, Γαγατῶν.

Ἐπὶ ὑπάτων Μάρκου Κονίου Σιλβανοῦ καὶ Σερρίου Αὐγουρείνου... (U. C. 909 = 156 C.).

Quae, mea sententia, sic explananda sunt. Primo paragrapho de epistolarum commercio agitur quod inter se Claudius Antimachus, sane tanquam Lyciarcha (1) romanusque praeses Voconius Saxa habuerunt. De quo scripserint ex rhodiapolensi de Opramoa titulo manifestum est : Cl. Antimachus praesidem rogavit ut honores Jasoni postulatos sanciret. Probante Saxae responso, a Concilio firmum ratumque decretum autumno anni 146 de re confectum est, cujus exemplar (ὑποταγή) in cyaneum tabularium demum nona die mensis Dystri (maii) insequentis anni (147) delatum est (2).

Non aliter de altero paragrapho sentiendum. Ibi plura urbium decreta memorantur quae cuncta simul mense januario anni 149 confecta nemo arbitrabitur. Ea quidem mense julio

(1) Sane anni 145, nempe flamen fuit anni 144.

(2) Hos enim titulos tanquam e municipalibus tabulis excerpta habeo, quae urbes seu gentes lapidibus incidenda curabant, ut suorum, qui communia munera gesserant, memoriam publice servarent. Exemplaria autem communium decretorum communis tabularii praefectus, id est ὁ γραμματεὺς τοῦ κοινοῦ, ad singulas urbes fasciculis mittebat.

antecedentis anni facta libentius existimem, quum illo mense municipales ecclesiae haberi solitae sint (1). Decretorum autem exemplaria (ὑποταγαί) die tertia mensis Deii (januarii) demum in Cyaneorum tabularium deposita sunt.

Animadvertendum est priores anni menses Deium (januarium) Dystrumque (Maium) indicari; tempora igitur secundum romanum calendarium lyciis mensium nominibus notari : unde consequitur flamonia eponyma cum consulatibus congruere.

Sed aliquis forte hoc exemplo nihil questum contendat. Nempe Flamines C. Julius Tlepolemus Veraniusque Tlepolemus munus suum mense octobri suscepisse potuerunt atque mense septembri insequentis anni flamonio abiisse, ita ut prior consulibus anni 147 mense maio, et alter consulibus anni 149 mense januario, adhuc flamonium gereret. — Si autem quemquam sacerdotem fuisse per totum consularem annum jam inde a principio mensis januarii abhinc ad finem decembris ostenderim, de re non amplius ambigetur. Argumentum ex aliis cyaneis tabulis deducam (2) qui honores Jasonis Lyciarchae (3) commemorant. Ibi autem acta publica cum temporibus (χρόνοι) notantur quibus reipsa confecta, non quibus, ut supra, in cyaneum tabularium delata sunt (4). Tabula, qua omnia secundum ipsius tituli ordinem, composui, rem clariorem efficiet :

137 Chr. *Flamine Fl. Attalo.*

- 11 jul. — Epistola Eudemi scribae ad Calestinum Tironem procuratorem. — Responsum Tironis.
- 8 jul. — Μυλητῶν decretum.
- 30 oct. — Χωματειτῶν decretum.
- ? nov. — Myraeorum decretum.

(1) Vide supra, p. 58

(2) *Serta hartel.* p. 1, sqq. — *Opr.* p. 56

(3) Jasoni Panoecio, de quo supra, sane proximi cognati.

(4) Vide supra, p. 75.

142 *Flamine Julio Titiano Phaniae f.*

6 jan. — Kandybaeorum decretum.

15 » Limyraeorum decretum.

30 febr. — Korydallaeorum, Phelleitum decretum.

5 jul. — Trebendatum decretum

18 » — Podaliotum decretum.

143 *Flamine Flavio Soso.*

? Maii. — Antiphellitum decretum.

2 julii. — Gagatarum, Olympenorum decretum

3 » — Arycandaeorum decretum.

19 » — Phaselitum decretum. — Epistola Junii Paeti de Arycandaeorum logisteia.

145 *Flamine Veranio Priscanio.*

20 jan. — Moletis epistola ad Jun. Paetum

2 febr. — Paeti responsum.

3 jul. — Cyaneae ecclesiae apologus.

21 aug. — Moletis epistola ad Jun. Paetum.

18 déc. — Paeti responsum.

146 *Flamine Licinnio Stasithemide.*

5 junii. — εἰσγραφαὶ τειμῶν in cyanea ecclesia a prytani Tandasi propositae.

1 julii. — Cyanei senatus apologus.

3 julii. — Decretum Ecclesiae de Mausolo, Jasonis filio, et εἰσγραφαὶ τειμῶν.

13 oct. — Myraeorum decretum.

Pataraeorum decretum.

Decretum Communis de gratiis imperatori agendis.

Qua tabula, sicut in ipso titulo, tempora secundum romanum calendarium ordinata esse liquet. Inde delucide constat eponymum sacerdotium una cum consulari anno incepisse atque desiisse. Sub Veranii enim Prisciani flamonio inscribuntur acta mensibus januario decembrique confecta.

Unde colligam flaminem ab autumnali Concilio designatum januariis modo kalendis iniisse : forsan hac solemni die primum officium ei incumbebat ut provinciae in principem vota praesidi referret.

Sic de eponymo provinciae flamonio (1). De ceteris genticis magistratibus, scilicet de Lyciarcha, Archiphylace, de Patroi Apollinis sacerdote etc., priscam, ut in libero Lyciorum Communi, normam adhuc valuisse existimem, id est ab his cunctis, statim post ἀρχαιρέσια, ineunte Loo (octobri), munus inauguratum fuisse. Quanta inde obscurioribus rhodiapolensis tituli locis lux infundatur postea demonstrabo (2).

(1) Dum ea scribebam, eadem pro sua parte de flamonio deduxit Heberdey, ut ex ejus commentario (*Opr*. p. 56) nuper mihi communicato, liquet.

(2) Vide infra, p. 95 sqq.

CAPUT VII

Lyciarcham ab augustali flamine abesse.

Nullus in toto communium honorum cursu lyciarchia atque Augustorum flamonio magistratus praestabat. Utpote autem ἐθνικὸς ἀρχών, Lyciarcha in fastigio fuit : ut videtur, nemini lyciarchiam adoriri licuit, nisi antea inferiores gradus transgresso flamoniumque adepto. Sic olim in libera Lyciorum civitate Lyciarcha gentis princeps summusque praetor fuit. Sed, provinciali Augustorum flamonio inaugurato, aequa huic dignitas addicta Flamenque annuus eponymus evasit. Nonnulli doctissimi viri utrumque munus in unum coactum fuisse opinati sunt et Lyciarcham Augustorumque flaminem unam eamdemque personam fuisse, atque utroque vocabulo unum idemque significari, contenderunt (1).

Argumentum enim deducunt ex eo quod, in nonnullis provinciis, genticus magistratus, id est ὁ ἐθνικὸς ἀρχών, a provinciae sacerdote minime discrepat : sic Helladarcham, Galatarcham, Asiarcham simul et ἀρχιερεῖς τῶν Σεβαστῶν fuisse constat (2).

De Lyciarcha et Flamine alii aliter sensere. Dum Büchener unum eumdemque virum, Beurlier contra duo personas his nominibus significari profitetur. Nova autem testimonia argumentaque nobis afferenda sunt.

(1) Büchener. *Ueber die Lykiarchen.* [*Philologus.* L (IV) 1891, p. 750-758]. — Marquardt. *Staatswesen,* I, p. 374.

(2) Büchener. *De neocoria,* p 116 sqq. — Cf. Guiraud. *Ass. prov.* p. 97 et Beurlier. *Culte des emper.* p. 120 sqq.

De eorum magistratuum sejunctione titulus Sidymae repertus testatur (1). Imperante Commodo, Diogene III Augustorum Flamine, sidymaei Senatus scriba Demosthene sententiae auctore, Augustorum sacerdote Alexandro praesidente, secunda mensis Deii (januarii die), postquam Sidymaeorum Senatus Ecclesiaque Gerousiam Sidymae instituendam decreverant, Claudius Telemachus Lyciarcha decretum Pomponio Basso proconsuli sanciendum retulerat. Epistola autem Bassus Sidymaeorum propositum probavit. Haec sunt rei principia. De verborum autem sensu non ambigitur. In praefatione decreti archiereus Augustorum eponymus, id est provincialis Flamen, ut solet, nominatur. Telemachus Lyciarcha tanquam munus suum eodem anno, quo Diogenes flamen fuit, explens, non utpote ex-lyciarcha habendus est. Verba autem ἐκομίσθη ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ λυκιάρχου Ἀπελλαίου κγ′ significant proconsularem epistolam decreto subjunctam, eodem Telemacho lyciarcha, die vicesima tertia mensis Apellaei (februarii) a Sidymaeis demum receptam fuisse : abhinc enim proconsularis sanctio valebat, Sidymaeorumque propositum ratum firmumque fiebat. Quin autem Flamen Diogenes Telemachusque Lyciarcha eodem anno sejunctim munus quisque suum expleverint, haud dubium. Nonnulli tamen docti viri dilucidum hoc testimonium ita torserunt, ut omnino contrariam sententiam inde deduxerint. Beurlier (2) enim titulo nostro nihil de lyciarchiae a flamonio sejunctione confirmatum opinatur, quia, ut ait : « *l'inscription est rédigée au nom de Sidyma et le lyciarque ne figure qu'à titre de citoyen de la ville. Le prêtre nommé est donc probablement le prêtre municipal.* » — Verumenimvero non sine levitate quadam doctum virum erravisse existimabis, dum respexeris : 1° saepissime provincialis Flamen in municipalibus, haud secus atque in communibus decretis, eponymus fuit (3).

(1) *Reisen*. I. p. 71, n° 50.

(2) *Culte des emper.* p. 130, adn. 4.

(3) Vide cyaneas tabulas supra commemoratas.

Municipalis enim eponymus nullus, nisi apud Xanthios Apollinis Patroi sacerdos innotuit, e titulo provinciae creatae anteriore (1). Municipales indigenarum deorum, non Augustorum, si qui ἀρχιερεῖς exstiterunt (2) eos eponymos fuisse non constat. 2°) Tantum abest ut Diogenes municipalis flamen fuerit ut iste nominatim in decreto cum proprio muneris sui titulo nuncupetur : ἐπιψηφισαμένου δὲ τοῦ ἱερέος τῶν Σεβαστῶν Ἀλεξάνδρου. 3°) in alio lapide, qui illi decreto subit (3), civium catalogum habemus ex quibus sidymaea Gerousia, eodem decreto instituta, conflata est. In hoc porro reperiuntur cuncta Sidymaeorum nomina qui decreto faciendo praefuerunt, scilicet Demosthenis scribae, Alexandri municipalis sacerdotis, Telemachi Lyciarchae (4). Solus Diogenes abest, unde aperte sequitur ut a sidymaea civitate omnino alienus fuerit. Non aliter ergo ac totius Communis magistratus in decreti praefatione commemoratur.

Aliunde doctissimus Büchener alia objecit. Ejus enim sententia, Telemachus non lyciarchiam explens, sed ex-lyciarcha fuit, qui titulus, ut solitum, in perpetuum conservabatur. Verbis porro ἐκομίσθη ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ λυκιάρχου non is, sed Diogenes Flamen designatur, quia Flamen idem fuit atque Lyciarcha. Ita, in anno notando nihil discrepat : idem ad finem decreti atque in praefatione eponymus nominatur.

Ei autem sententiae plura obstare mihi videntur : 1°) annus idem constat si Telemachus lyciarchiam gerens habetur, quum munus suum eodem tempore, quo Diogenes flamonium, exple-

(1) Vide supra p. 32, adn. 1.

(2) Archiereus, qui Apollini Surio serviisse in *Reisen* (II, *Ind.* s. v. ἀρχιερεύς) perperam dicitur, reipsa provincialis eponymus Flamen fuit, ut ex ipsi titulis liquet (II, n° 83 et 84).

(3) *Reisen*. I. n^is 51 et 52, p. 73 et 74.

(4) *ibid.* N° 51. v. 24, 21, 6. Etiam lapicidae Evelthonis Euthychis (*ibid.* v. 14) qui non e senatoribus, sed ex populo eminebat.

verit. 2°) Si Telemachus a Sidymaeis ad proconsulem delegatur, ratio est quod, lyciarchia ornatus, majore ad rem impetrandam auctoritate frui videbatur quam unusquilibet inter cives. Si eum ex lyciarchia fingas, tanto minuitur ejus auctoritas. De re autem politica maximi momenti agebatur, quum novum in sidymaea civitate consilium creandum esset. Minime porro mirum est si competentissimo inter civiles magistratus, id est τῷ ἐθνικῷ ἄρχοντι, hoc negotium Sidymaei mandaverunt.

Sed plura : Telemachus quidem Sidymaeus nuncupatur, sed et primo Xanthius (1). Patria igitur Xantho oriundus, civitatem apud Sidymaeos, honoris causa, ut solitum, consecutus erat. Ubi autem Lyciarcha evasit, Sidymaei haud mora nova viri potestate uti voluerunt.

3°) Quod si alterum in decreto eponymum Lyciarcham una cum flamine insolite inscriptum Sidymaei voluerunt, ratio sane est quod ipse rem ad felicem exitum adduxerat. Non adeo autem insolitum mihi videtur duo eponymos in eodem titulo nominari, quorum unus tanquam in designandis publicis actis semper usitatus, alter tanquam rei competens magistratus praebetur. Multo vero mirabilius esset, si in eodem lapide unus idemque magistatus bis diverse nuncupatus fuisset. Quamobrem, cum Büchener, censeo his verbis : ἐκομίσθη ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ λυκιάρχου idem significari atque « eodem anno » (2), sed quia Lyciarcha

(1) *Reisen*. I. p. 71, n° 50, v. 9 : ἀναδοθῆναι αὐτῷ ὑπὸ τοῦ ἀξιολογωτάτου Λυκιάρχου πολείτου ἡμῶν Τι. Κλ. Τηλεμάχου Ξανθίου καὶ Σιδυμέος. In ceteris titulis ubi pluribus civitatibus eumdem virum frui videmus, patria civitas semper primum locum obtinet, nisi romana prius indicatur. Cf. *Opr*. n° 30. IX A, 10 : Ὀπραμοάν... Ῥοδιαπολείτ[ην καὶ Κορυδαλλέα] καὶ Μυρέα καὶ Πα[ταρέα] κτλ. — *Ibid*. VIII D, 16, de ejus matre, quae Corydallis oriunda erat : Λι[λίας... Ἀρτε]μ[ισί]ου [Κορυδ]αλλίδος καὶ Ῥοδ[ιαπολει]τίδος...

(2) Id est, secundum lycium calendarium, ab autumno ad proximum autumnum, ut infra demonstrabitur, p. 96. Adde quod τοῦ αὐτοῦ λυκιάρχου grammatice melius ad vere Lyciarcham Telemachum refertur, de quo altero versu supra verba facta sunt, quam ad Flaminem pseudo-lyciarcham in praefatione commemoratum.

Flamenque eodem anno munus uterque suum sejunctim explevere, non quia ex utroque una eademque persona constiterit.

Alia autem exempla proferre mihi liceat, quibus sejunctim eodem anno Lyciarcham Flaminemque suis muneribus functos, alia vero quibus eumdem virum lyciarchia flaminioque vicissim, non simul, ornatum fuisse demonstrem.

Etenim, in tabulis gentis cujusdam cyaneae, ex qua Jaso Lyciarcha oriundus erat, fragmentum hoc invenitur (1) :

[’Επὶ ἀρχιερέος τῶν Σε-]
βαστῶ]ν Μαυσ[ώλου] τοῦ
᾿Ι]άσονος, Λώου ι[η′, Μαυ-
σώλου Ναγουλλίου Πο-
λυχάρμου ἰσγραφαὶ τειμῶ[ν
ἰς τὸ ἔθνος Μαυσώλου
τοῦ ’Ιάσονος καὶ ἀπόλογος
τοῦ Λυκίων ἔθνους καὶ
ἐπιστολὴ Λικιννίου Στασι-
θέμιδος λυκιάρχου
Φλαυίῳ ῎Απρῳ ἡγεμόνι καὶ
ἀντιγραφὴ ῎Απρου.

Quod fragmentum sic explanandum censeo : Mausolus Nagullius Polycharmus Concilium rogavit ut honores eidem Mausolo, flamonium etiam tunc gerenti, decerneret. Concilium rogationem apologo, id est secundo testimonio (2), probavit ; post quod, Licinnius Stasithemis Lyciarcha romano praesidi seu procuratori Flavio Apro scripsit ut sanctionem postularet. Haud semel enim inter Lyciarcham provinciaeque rectorem de similibus commercium habitum est (3). Quin porro utpote Lyciarcha Licinnius Stasithemis decretum de Mausolo, ejusdem anni Flamine, sanciendum praesidi transmiserit, minime dubium.

(1) *Eranos. Vindob.* p. 85.

(2) De hac re, vide, p. 121, n. 3, et de *apologo*, p. 125.

(3) *Opr.* n° 18, V E, 2 : ’Ε]πὶ ἀρχιερέο[ς Κλαυδίου Μαρκιανοῦ
....Σου]φ[ήνα Οὐή]ρ[ος]’Ιο[υλίῳ ’Αττάλῳ (?)
λυκ]ιάρχῃ χαίρειν.

Quanquam ibi flanimis nomen periit, ex finitimis scriptis constat ad nullum alium nisi ad Marcianum id referri posse. Cf. *Opr.* N° 19, V F. et titulum sidymaeum, de quo supra.

Non infirmius argumentum ex epistola praesidis Sufenae Veri ad Lyciarcham deducam (1). Quae sic sese habet :

'Ε]πὶ ἀρχ[ι]ερέος [Ἰάσ]ονος? τοῦ 'Εμ[βρό]μου (anno 132)
. . . . . . Σουφήνα Οὐῆρος Μα-
ρκιανῷ?] λυκιάρχῃ.

Ad complendas nominum lacunas finitima scripta adjumentum praestant. Marcianus, quem versu 3 restituendum censeo, Flamen anno antecedente fuit : utut autem res se habuit, nomen Lyciarchae idem atque flaminis hic fuisse non potuit, quum sex litterae in versu 3 deficiant, ut ex ipsius lapidis imagine patet. Anno igitur 132, certum est Flaminem non eumdem fuisse atque Lyciarcham (2).

Aliud etiam simile producam. Titulo oenoandeo (3) genealogia gentis cujusdam conscribitur, cujusque dignitates commemorans. Sic autem Licinnii Longi cujusdam honorum cursus describitur : μεθ' ἧς (cum conjuge sua) πρὸ τῆς λυκιαρχίας ἱερατεύσας τῶν Σεβαστῶν ἐν τῇ πατρίδι, ἐπὶ ἀρχιερέος Κλαυδίου [Σ]ακέρδωτος, μῆνος Λώου, ἐπιτελεῖ κυνηγέσια καὶ θηριομαχ[ίας] καὶ μονομαχίας, καθὼς δείκνυ[τα]ι ἐκ τοῦ γενομένου ψηφίσματος εἰσδόσεως τει[μῆς] ἐπὶ ἀρχιερέος Λουκίου [Οὐ]ι[βη]ρε[ίνου, μηνὸς] Ξανδικοῦ ιϛ'.

Municipale Oenoandis sacerdotium Licinnius Longus una cum conjuge, ante quam Lyciarcha evaderet, explevit, Claudio Sacerdote provinciale flamonium, anno 126, gerente (4). Tunc temporis, mense Loo (octobri), circenses Oenoandeis edidit. Propter mensem Loum, existimem ludos autumnalibus comitiis protinus subiisse, a quibus Licinnius ad lyciarchiam designatus est. Decretum autem, quod ibi commemoratur, non periit (5). Ab

(1) *Opr.* N° 19, V F.

(2) De quo silet Büchener. — Marciani lyciarchiam ab autumno 132 ad autumnum 133 duravisse censeo.

(3) *Bericht.* p. 44, III, l. 31.

(4) *Opr.* II G, 14. — III A, 9.

(5) *Bericht*, p. 47. N° 62.

Oenoandeis confectum est, die decimo sexto mensis Xandici (junii), Viberino post Sacerdotem flamine, scilicet anno 127, circensesque commemorat ab Licinnio editos ἀρχιερέος Σακέρδωτος (1), πρὸ τῆς λυκιαρχίας. Unde aperte sequitur ut Licinnius eodem anno lyciarchiam expleverit quo Sacerdos ac deinde Viberinus flamonium (2).

Subsidiarium vero argumentum ex eo deducitur quod alii viri lyciarchia flamonioque non iisdem temporibus functi sunt. Videmus porro :

1°) Claudium Marcianum, Flaminem anno 131, Lyciarcham anno 132/3 (*Opr.* N^is^ 18, 19), ut supra dixi ;

2°) Licinnium Stasithemidem, Flaminem anno 146 (3), Lyciarcham eodem anno quo (4) Mausolus, Jasonis filius, Flamen fuit ;

3°) Jasonem, Nicostrati filium, Flaminem anno 139, post annum quo Antoninus Pius imperium consecutus est (5), Lyciarcham anno 144/5 (6) ;

4°) Claudium Antimachum, Flaminem anno 144, Lyciarcham anno 145/6 (7) ;

5°) Mettium Androbium, Flaminem anno 150 (8), Lyciarcham anno 151/2 (9).

Quid igitur postea, nisi haec : 1°) Lyciarchia cum flamonio minime confunditur ; 2°) utrique suus est proprius magistratus, alter ab altero alienus ; 3°) lyciarchiam, verbo saltem tenus,

(1) Cf. *Opr.* II G, 14 ; III A, 9.

(2) Scilicet ab ineunte Loo 126 (Sacerdote flamine calendis abhinc januariis). De tempore quo Lyciarchae munus suum inauguraverint, vide infra, p. 96. Hunc Licinnium Longum non eumdem esse atque homonymum Flaminem anni 133 censeo (*Opr.* p. 69).

(3) *CIG.* 4224^d^. add. — *Opr.* XI H, 6. — *Serta Hartel.* I, 18.

(4) *Eran. Vindob.*, p. 85 — Vide supra, p. 83.

(5) *Opr.* VII F, 13. — N° 37, 7. — *Serta Hartel,* p. 2. II. A, 6.

(6) *Serta Hartel.* III. B. Vide infra qua ratione tempus hoc confirmetur.

(7) *Opr.* N° 36, X H, 5. — Vide supra, p. 75.

(8) *Opr.* XII B, 2.

(9) *ibid.* B, 3. — Titulus oenoandeus. V. 10. (*Bericht,* p. 45.)

flamonio superiorem fuisse constat, quum flaminalibus plerumque tribuatur. Itaque, in genealogia oenoandea, ubi cujusque summa, quam sit assecutus, dignitas indicatur, lyciarchia sola atque etiam, quando locus est, romani honores, non autem flamonium, commemorantur. Ex his tamen lyciarchis plerique, nisi cuncti, per flamonium transierant. Exempli gratia, C. Julius Demosthenes, tribunus militaris, Trajani in Sicilia procurator, καὶ μετὰ τοῦτο λυκιάρχης (1), alias (2) utpote Flamen his verbis nuncupatur : [ἐπίτροπον]... Σικε[λίας] καὶ τῶν ἄλλων τῶν Σι[κελίᾳ] συντελουσῶν νήσσων, γενόμενον ἀρχιερέα τῶν [Σεβασ]τῶν καὶ γραμματέα Λυ[κίων] τοῦ κοινοῦ. Siquidem titulus hic de Demosthenis lyciarchia silet, ratio sane est quod ante lyciarchiam incisus est.

Pariter Mettium Androbium, Lyciarcham in genealogia dictum (3), Flaminem anno 150 fuisse novimus. Item de Licinnio Musaeo, Lyciarcha (4), alias Flamine (5), ejusque fratre Marcio Thoante, hic Lyciarcha (6), illic Flamine (7).

At enim, etsi lyciarchia cum flamonio non confundebatur, num tamen nonnunquam ab eodem viro ita expleri potuit ut altera super alterum cumularetur ?

Exempla porro inspiciamus in quibus lyciarchiam cum flamonio compositam docti viri observare voluerunt. Primo animadvertendum est quando bina munera sic composita uni eidemque viro commissa erant, binis titulis hoc significari. Etenim tanquam communem Scribam saepius ipsum Flaminem Lycii designavere; duplex autem titulus in lapidibus non omittitur, hoc modo : ἀρχιερεὺς τῶν Σεβαστῶν καὶ γραμματεὺς τοῦ Λυκίων ἔθνους (8).

(1) Titul. Oenoand. II. 59. (*Bericht*, p. 44).
(2) *Bericht*, p. 47. N° 62.
(3) V. 10. *Bericht*, p. 45. — Cf. *Opr.* XII B, 3.
(4) Titul oenoand. II. 5. *Bericht*, p. 43.
(5) *Reisen*. II. N° 228, 5. — 229, 4. — *Bericht*, p. 46 et 48. N° 63, 24.
(6) Titul. œnand. II. 6-7. *Bericht*, p. 43.
(7) *Reisen*. II. N°s 227 et 228.
(8) Infra vide, p. 112.

Unde necesse sit, ubi quis Lyciarcha Flamenque simul fuerit, ut titulus hic nobis occurrat : λυκιάρχης καὶ ἀρχιερεὺς τῶν Σεβαστῶν, quod nondum repertum est.

Doctus autem Lœwy ab Opromoa lyciarchiam super flamonium cumulatum e rhodiapolensi titulo collegit (1), insolitam quidem rem. professus. Büchener contra eam rite usitatam voluit, imo lyciarchiam flamoniumque idem fuisse contendit. Quod si rhodiapolensem titulum penitus inspicimus, aliam sententiam deducere nobis licebit. Opramoas, Apollonii II filius, Rhodiapoli natus est. Postquam plura municipalia in patria nec non in aliis lyciis civitatibus munera explevit, anno 125 Archiphylax communis creatus est. Deinde, quum anno 131 55 000 denaria Communi donavisset, Lycii annuos honores quotannis autumnali Concilio renovandos decreverunt. Reipsa, continuam decretorum seriem per annos 132, 133, 134, 135 possidemus, quibus honores quartum renovantur. Post autem Killortae flamonium, anno 135, secundus ille rerum tenor subito interpellatur.

Loco enim decreti quo honores quintum renovarentur, epistolam (N° 24) praesidis Senecae ad flaminem Flavium Attalum habemus. Qua Seneca Lycios vetat ut Opramoam, τὸν ὑποστάντα τὴν λυκιαρχίαν, insolitis honoribus (ἐξαιρέτῳ τείμῃ) prosequantur, cunctaque ut assolebat fieri jubet : πάντα κατὰ τὴν συνήθειαν γενέσθαι βούλεται.

Ea res est. De verborum autem τὸν ὑποστάντα λυκιαρχίαν significatione disputatur. Sunt enim tres sensus, inter quos eligendum, sive « *in lyciarchiam designatum* » intelligas, sive « *eum qui lyciarchiam gerit* ». De autem sensu, quem elexeris, pendet totus temporum ordo. Aliunde, hoc certum est : nullus

(1) *Reisen*. II, p. 120. Quem secutus Beurlier. *Culte des emper.*, p. 130. adn. 1.

Lyciarcha evasit vel in lyciarchiam designatus est, quin prius flamonium expleverit. Opramoam autem Flaminem fuisse subeuntia epistolae decreta testantur. Fuit porro Flamen atque ὑποστὰς τὴν λυκιαρχίαν intra Killortae Sarpedonisque annos, id est intra 135-138 (1). Vicissimne an simul, id est in ambiguo. Quamobrem tabulas confeci, quibus variae rerum rationes praeberentur :

A

135	Oct. 2[3 ?]. —	Decretum n° 23 quo quartum annui honores Opramoae conferuntur.
Killorta flamine.	Oct.	Opramoas in flamonium designatur ?
136		[Decreta desunt].
Opramoa flamine.	Oct. —	Flavius Attalus in flamonium designatur ?
137	Oct. —	Opramoas postquam flamonii sui rationes in Concilio dedit, lyciarchiam inaugurat (ὑποστὰς τὴν λυκιαρχίαν).
Flavio Attalo flamine.		Lycii ei insolitos honores conferre instituunt.
Seneca prov. rectore.		Seneca propositum hoc interpellat (n° 24).
Opramoa Lyciarcha ab ineunte octobri.		Decretum Senatus quo solita formula quintum annui honores Opramoae renovantur, nulla flamonii neque lyciarchiae mentione facta (n° 25).
		Xanthii a Seneca ad imperatorem provocant (n° 26, VII D, 10).
138		
Sarpedone Flamine.	Oct. —	Senatus decretum (n° 26) quo comme-

(1) Eponymorum flaminum ordinem temporaque accuratissime disposuit Heberdey. *Opr.* p. 69.

Opramoa usque ad finem septembris, Lyciarcha, Seneca ac deinde (autumno?) Corn. Proculo prov. rectore.	morat Concilii de Opramoae flamonio propositum : πρὸ τῆς ἀρχιερωσύ[νη]ς [ἐψηφίσ]θαι αὐτῷ τὰς κατ' ἔτος τει[μ]ὰς, [τή]ν τε ἀρχιερωσύνην [β]ουληθέντος τοῦ ἔ[θ]ν[ους τειμᾶν, ἐν ᾗ? ἐπ]λήρωσεν πάντα τὰ [εἰς τὴν εὐσέβει]αν κτλ. seque hoc anno solitos, ut ceteris Lyciarchis abeuntibus, Opramoae honores collaturum profitetur : [κ]α[ὶ ἐν τῷ νῦν ἔ]τει ὀφείλοντος αὐτοῦ τὰς σ[υ]ν[ήθεις] τοῖς λυκιαρχήσασιν τειμὰς ἀπολ[αύειν]. Deinde testimonium (μαρτυρίαν) ad imperatorem Antoninum (1) a legatis ferendum jubet, περὶ τῆς τοῦ 'Οπραμόου [λυκι]αρχίας καὶ τῆς ἀπὸ τοῦ ἔθνους πρὸ[ς αὐ]τὸν εὐνοίας καὶ περὶ ὧν ἐπικέκληται [Ξαν]θίοι(ς). (VII E, 6). Senatus honores de Opramoae lyciarchia tribuendos rogat. Propositum a Corn. Proculo, Senecae successore (2), interpellatur (3). Senatus simplex breveque decretum quo honores sextum Opramoae (qui ἀνὴρ λυκιάρχης hic dicitur) tribuuntur (N° 27).
139 Jasone, Nicostrati, filio, flamine.	21 sept. — Prior Corn. Proculi ad Commune (id est Senatum) epistola (n° 28) : imperatore honores probante, nunc Lyciis permitti ut ad propositum de insolitis honoribus revertantur ; se autem non jam interpellaturum.

(1) Xanthiorum appellatio (ἐπίκλησις ἐπεδόθη ἐπὶ τὸν κύριον αὐτοκράτορα. VII D, 8). autumno anni 137 decreta. Romam sane ineunte anno 138 pervenit, Hadriano etiam tum regnante. Antoninus imperium die decima mensis julii 138 inauguravit ; autumnale ergo Concilium de mutato imperatore jam certius factum fuit. Unde sane propositum ortum est, ut eum de re judicanda per legationem monerent.

(2) Seneca provinciam sane medio anno 138 deseruit ; Corn. Proculus ejus successor. jam autumnali Concilio adesse potuit.

(3) Ut ex ipsa Cornelii Proculi epistola constat (n° 28) : καὶ ὅ[τε ἀντέτ]αττον τειμὰς ἐψηφίσασθε.

Ea epistola recepta, Senatus vel Concilium postulationem de honoribus conficit, quam flamen per litteras praesidi mandat (n° 30, VIII H, 3) : τοῦ] δὲ ἔ[θνους καὶ πάλιν ἐ]πιβοησαμένου [τ]ειμῆ[σαι αὐτὸν ἐπὶ ταῖς φιλοτε]ιμίαις καὶ τ[αῖς εἰς τὸ ἔθνος εὐεργεσίαι]ς κ[α]ὶ [τοῦ ἡγεμόνος εἰς ἅ ἐπεστάλη[ν ? αὐτῷ ὑπὸ τ]οῦ ἀρχι[ερέος ἀντιγε[γ]ραφφότος ἀκολούθ[ως κτλ.

Septembri desinente. — Altera Corn. Proculi ad Commune epistola (n° 29) : a se honores postulatos, scilicet annuos in singulis urbibus, probari.

Firmum ratumque Ecclesiae decretum (n° 30), quo totus Opramoae honorum cursus describitur, atque propter flamonium honores novi inaugurantur.

(VIII H, 9) : δ[εδόχθαι τετειμῆσθαι π]άλιν καὶ ἐν τῷ ἐν[εστῶτι] ἔ[τει Ὀπραμόαν... τὸν γε]γονότ[α] ἀρχ[ι]ερέα τῶν Σε[βαστῶν, τὸν δὲ αὐτὸν κα]ὶ γραμματέα Λυ[κίων] τοῦ κοινοῦ ταῖς ὑπογεγραμμέναις τειμ[α]ῖς, scilicet aurea corona, pictis imaginibus aureatis, aeneis statuis : ὑπὲρ τῆς ἀρχιερωσύνη[ς, τειμα]ῖς καὶ ταῖς κατὰ πὸλιν κα[ὶ κατ᾽ἔτος] κτλ.. De lyciarchia autem nondum statuitur, sed de ea scripsisse Corn. Proculus (ad imperatorem ?) declaravit (VIII G, 13) : Κορν[ηλί]ου Πρόκλ[ο]υ [?εἰπόν]τ[ο]ς γεγ[ράφθαι] ὑπὲρ τῆς λυκι[αρχί]ας...

Inde abhinc decreta testimoniaque renovantur, ubi saepius de flamonio atque de lyciarchia agitur (1).

(1) Vide totius tituli epitomem. *Opr*. p. 69.

Si ei tabulae A fidem adhibemus, res hoc modo sese habuit: peracto flamonii anno 136, quo Opramoas de Lyciis tam bene meritus est (posteriora enim decreta ejus largitiones abunde jactant), autumnali Concilio quod anno 137 convenit, Lycii Opramoam Lyciarcham delegerunt, sibique proposuerent ut ei et flamonii peracti et lyciarchiae gerendae simul praemium insolitum decernerent. Ideo tanquam lyciarchiam nuper adeptus (ὑποστὰς τὴν λυκιαρχίαν) a Seneca designatur. Sanctionem autem suam praeses abnuit, nimium sane praematurumque arbitratus Opramoam insolitis honoribus onerari, donec lyciarchia non peracta esset. Mos enim erat magistratibus autumno anni quo, munere deposito, rationes edidissent, honores tribui (1). Forsan et honorum rogatorum immodestiae Seneca repugnavit. Tunc Lycii solitos de archiphylacia et de 55 000 denariorum dono honores, ut quotannis per Senatum fiebat, decernere coacti sunt (2). De autem insolitis honoribus a Seneca ad imperatorem statim Xanthii provocaverunt : anno autem 138, sententia nondum data, imperator Hadrianus decessit. Tunc, sane in autumnali Concilio, testimonium (μαρτυρίαν) de Opramoa novo imperatori Antonino mittendum Senatus instituit. In hoc senatorio decreto (N° 26), duo postulationes commemorantur : prior de Opramoae flamonio, quam Seneca sane sancire noluerat, altera de decedente lyciarchia, quam Cornelius Proculus, Senecae successor, non amplius sanciendam aestimavit, lyciarchiam honorari nolens, quum de flamonio causa adhuc indicta esset. Quod saltem ex priore Corn. Proculi epistola (N° 28, VII G. 3) deducendum mihi fingo, ubi scripsit : καὶ ὅ[τε ἀντέτ]αττον τειμὰς ἐψηφίσασθε. Itaque tunc etiam brevi Senatus decreto, annuos honores sextum

(1) Scilicet Flamines eponymi iidemque communes Scribae qui pridie calendas januarias decedebant, autumnali Concilio insequentis anni; civiles autem magistratus, Lyciarchae et Archiphylaces, qui secundum Lycium calendarium ab autumno in autumnum munus explebant, statim post rationes editas, honoribus ornari poterant.

(2) *Opr.* n° 25.

decernente, Lycios contentos esse oportuit (N° 27) : non potuerunt tamen quin Opramoam ἄνδρα λυκιάρχην ibi publice pronuntiarent, quum lyciarchia jam tunc decessisset.

Proximo autem autumno anni 139, licitum fiebat honores decernere. De natura enim honorum imperator secundam sententiam emiserat. Nulla igitur ratio erat cur sanctionem amplius praeses abnueret. Quod Proculus ipse in priore ad Senatum epistola profitetur (N° 28) : ταύτας νῦν, καὶ ἡνίκα ἔξεστιν, ἀποδοῦναι βούλεσθε, τοῦτο συνχωρήσαντος τοῦ μεγίστου πάντων αὐτοκράτορος, ὅς Ξανθίοις ἀνῆκε τὴν ἐπίκλησιν τὴν ἀντικρὺς τούτων γενομένην.

De flamonio peculiariter honorando nulla disputatio orta est. Sed cum flamonio eisdem insolitis honoribus et lyciarchiam honorari, ut antea, voluisse Lycii videntur. De quo controversiam quamdam inter praesidem Lyciosque exstitisse arbitrer. Nempe, si de flamonio benignissimum responsum Corn. Proculus roganti Flamini dedit (VIII H, 7), de lyciarchia causa in posterum reservata sane est ; prudenter, ni fallor, se ad principem rem delaturum Corn. Proculus professus est, ut ex loco nimis incerto suspicari licet (n° 30 ; VIII G, 13) : εἰπό]ντ[ο]ς γεγ[ράφθαι] ὑπὲρ τῆς λυκι[αρχί]ας. Unde necesse fuit ut de flamonio abunde, de lyciarchia autem quasi caute in decretis subsequentibus ageretur. De lyciarchia quidem non benigne ab imperatore judicatum mihi videtur, vel ipse Opramoas nimio suorum civium studio indulgere noluit, ne Lyciarchae titulum Romanis infensos facerent. Unde fit ut de lyciarchia semper minus aperte quam de Augustorum flamonio verba fiant. Lyciarchiae quidem alluditur his verbis (VIII F, 5) : τήν τε περὶ τῶν κοινῶν φροντίδα καὶ διοίκησιν πιστῶς ἀπαρτίσας καὶ ταῖς φιλοτειμ[ί]α[ις] · οὕτως ἐνακμάσας, ὡς μηδὲ ἑνὸς αὐτῶν πρὸ τῆς ἀρχιερωσύνης ἀνηλωμένου · — et (VIII F, 16) : καὶ ἐπὶ τοῖς τῆς ἀρχιερωσυνης [ἀ]ναλ[ώμα]σιν καὶ ἐφ ’αἷς μετὰ τὴν ἀρχιερ[ωσύ]νην [ταῖς πλείσταις τ]οῦ ἔθνους [πόλεσιν ἐπεδείξατο φιλοτ]ειμίαις, αἷς μὲν ἀγωνοθε[τήσα]ς

λαμπρῶς καὶ μεγαλοψύχως, αἷς δὲ [καὶ ἔ]ργων κατασκευὰς ὑπεσχημένος, αἷ]ς δὲ καὶ δωρεὰς ἀργυρίων, etc.

Ea verborum obscuritate Lycii cavebant ne τὸν ἐθνικὸν ἄρχοντα pluris quam Augustorum Flaminem facere, neve romani praesidis vel imperatoris majestati quid detrahere viderentur.

In decreto n° 53 (XIII C, 4) lyciarchia prae flamonio memoratur (1), haud secus atque in n° 63, ubi στρατηγήσας pro λυκιαρχήσας manifesto usurpatur (2). Unde effici immerito censuit Büchener ut lyciarchiam ante flamonium Opramoas adeptus sit. Etenim in XVIII F is cursus honorum describitur quem *inversum* dicunt, scilicet qui a fastigio ad infimum descendit. In XIII C contra ab archiphylacia cursus incipit prosequiturque hoc modo : ἀναλαβ[ώ[ν] τὴν λυκιαρχίαν καὶ τὴν τῶν Σε[βασ]τῶν ἀρχιερωσύνην. Unde forte colligas flamonium ultimum cursus terminum fuisse, injuria certe. Satis enim mihi demonstravisse videor ut solis sacerdotalibus Lyciarchae titulus tributus fuerit. Lyciarchia igitur flamonium ita inclusit ut is quis Lyciarcha dicebatur ipso facto aperte tanquam flaminalis designaretur. Sic XVII A, 10 et 11 Opramoae λυκιαρχήσαντι φιλο[τειμῶς] laudes effunduntur, praetermissa flamonii mentione. Item, ut supra dixi, in genealogia Oenoandea.

B.

135. Killortas Flamen.

136. Opramoas Flamen simul atque Lyciarcha.

137. Flavio Attalo Flamine, postulantur, mense octobri, Opramoae insoliti honores. Seneca abnuit.

Rebus ita ordinatis oportet ut verba : τὸν ὑποστάν[τα] τὴν λυ[κιαρχίαν] intelligas « *qui lyciarchia abiit* » sive « *ex-lyciarcha* ».

(1) ἀναλαβ[ώ[ν] τὴν λυκιαρχίαν καὶ τὴν τῶν Σε[βασ]τῶν ἀρχιερωσύνην.

(2) XVIII F, 3 : κοι[νῇ μὲν τῷ ἔθνει στ[ρα]τη[γήσας....] μεγαλοφρόνως καὶ ἀρχιερα[τεύσας τῶν Σεβασ]τῶν.

Sed praeter quod graeca vocabula parum apte transtuleris, non intelligam quid insoliti de honoribus postulatio praebuerit, exacta Opramoae lyciarchia quando rogatio facta fuerit, scilicet mense octobri anni 137. Nulla exstiterit legitima causa cur Seneca quidquam abnuerit ni Lycios ad libidinem suam vexare sibi proposuerit. Ea igitur rerum ratio pessima habenda est.

C.

135. Killortas Flamen.

136. Opramoas Flamen. Desinente septembri, Opromoas flamonium adhuc explens, in lyciarchiam designatur.

137. Flavius Attalus Flamen. Opramoas Lyciarcha, a calendis januariis anni 137 ad diem prie calendas anni 138. Autumnali Concilio, honores a Lyciis rogati a Seneca abnuuntur.

Ea ratio cum docti Heberdey sententia, ni fallor, congruit (1). Plura tamen obstant ne huic assentiar. Nempe : 1°) Verba τὸν ὑποστάντα τὴν λυκιαρχίαν, quibus Seneca Opramoam designat, insolitum quid praebent, si de Lyciarcha munus suum jam pluribus abhinc mensibus explente agitur. Namque in epistolis suis ad Lyciarchas, Sufenas verus proprio verbo λυκιάρχῃ utitur (N^is 18, 19). Illa igitur Senecae periphrasi peculiarem quemdam sensum includi arbitrer, utpote qui virum significaverit lyciarchiam nuper adeptum, id est novum Lyciarcham a Concilio electum (2). 2°) Quod si Opramoae lyciarchiam ejus flamonio, sine ullo temporis intervallo (3), subiisse ita fingamus ut die ultima anni 136 flamonio decesserit atque calendis januariis anni 137 lyciarchiam inauguraverit, necesse fit ut in lyciarchiam ab autumnali Concilio anni 136 designatus fuerit, scilicet rationi-

(1) *Opr.* p. 59.

(2) Quod quidem Rudolfum Heberdey minime fefellit (*Opr.* p. 59).

(3) Heberdey. *Opr.* p. 59 : « Dagegen scheint allerdings eine Verbindung beider Aemter in der Art beliebt gewesen, dass die Lykiarchie sich unmittelbar an die Priesterschaft auschloss. »

bus suis de flamonio nondum proditis. Quod quidem pro probabili habendum minime sentio. Seneca autem epistolam suam, Flavio Attalo flamine, id est anno 137, scripsit. Quam, quum de viro nuper lyciarchiam adepto nec non de Concilii rogatione agat, certum est ad autumnale Concilium ejusdem anni referendam esse. Quid igitur inde colligendum superest, nisi haec? Scilicet, Opramoam pridie calendas januarias anni 137 flamonio abiisse Flaviumque Attalum in ejus locum successisse. Postquam autem, autumnali ejusdem anni Concilio, rationes suas edidit, protinus Lyciarcha a Concilio creatus, novum munus statim inauguravit (ὑποστάντα τὴν λυκιαρχίαν). Quod munus proximo autumno deposuit, ut ex decreto N° 26 liquet, ubi dicitur : κ[αὶ ἐν τῷ νῦν ἔ]τει (anno 138, Sarpedone, flamine), ὀφείλοντος αὐτοῦ τὰς σ[υ]ν[ήθεις] τοῖς λυκιαρχήσασιν τειμὰς ἀπολ[αύειν]. Qui honores sane postquam rationes de peracta lyciarchia ediderat, a Concilio rogati sunt.

Sed haec hactenus. Ab his quae supra exprompsi necessitas ducitur ut lyciarchia a flamonio omnino aliena fuerit. Is enim rerum processus saepissime usitatus fuit. Cuncti magistratus ab autumnali Concilio renovabantur. Flamen autem eponymus, autumno creatus, officium suum demum calendis januariis, haud secus ac consul romanus, anni insequentis inaugurabat atque ultima die ejusdem anni sese abdicabat. Rationes autem de peracto magistratu autumnali Concilio edebat quod sub ejus successore conveniebat. Annus igitur, quo officium expleverat, cum consulari anno apte congruebat.

De Lyciarcha autem aliter. In quo ἐθνικῷ ἄρχοντι creando, ab imitandis romanis institutis omnino abstinueree patriamque Lyciorum consuetudinem semper secuti sunt. Autumnali enim Concilio, ut olim fiebat, electus, munus suum extemplo inaugurabat, perque annum lycii calendarii, id est ab autumno (ab ineunte Loo = octobri) ad proximum autumnum (ad desinen-

tem Loum) munus explebat. Ubi decesserat, rationibus in Concilio proditis, apologum honoresque solitos obtinebat.

Si quis autem, postquam flamonio sese abdicavit, lyciarchiam statim adeptus nobis occurrit, ut de Opramoa, de Marciano, de Mettio Androbio compertum est (1), necesse est ut nonnullos menses intercessisse fingamus, scilicet ab ineunte januario ad finem septembris. Quae cuncta, ni fallor, quod ad Opramoam attinet, convenienter tabula mea A explanantur (2).

Quod de Lyciarcha certum habeo et de ceteris genticis magistratibus, id est de Sacerdote Apollinis Patroi, de Archiphylace, de Hypophylace valuisse censeo. Quapropter, ut res regulariter ordinarentur, cum eponymi Flaminis titulo saepissime et communis Scribae titulum conjunctum videmus. Cujus rei causas exemplaque infra mox prodam (3).

(1) Vide supra, p. 55.

(2) De Licinnio Longo vide p. 85, adn. 2.

(3) Cap. X.

CAPUT VIII

De Lyciarcha.

Lyciarcha primus inter communes magistratus fuit (1). In annum, ut ceteris, munus ei tribuebatur (2). Ab Ecclesia, quae ἀρχαιρεσιακή dicebatur, prae ceteris eligebatur (3). Ex uniuscujusque classis urbibus, dum facultates haberet, eligi potuit : varias enim Lyciarcharum patrias tituli testantur. Quum in provincialium dignitatum fastigio lyciarchia steterit, is qui ἀνήρ λυκιάρχης, id est saepissime ex-lyciarcha, eo ipso tanquam totum honorum cursum persecutus denuntiatur.

Quid autem, provinciali aetate, priscae dignitatis superfuit ? Quid militaris imperii civilisque auctoritatis? Quantum denique in Communi Lyciarcha valuit ? Res quidem perobscura. Namque de Lyciarcha, praeter nomen saepe lapidibus laudatum, nihil nobis innotuit. Gloriosa quidem, sed inanis, gentici magistratus dignitas nobis apparet. Ubi ad peculiare ejus in rebus publicis officium definiendum locus est, marmorum facundia quasi nubilo involvitur (4). Nihil solidi de viro traditur. Titulum,

(1) πρώτη ἀρχή τοῦ συστήματος. (Strab. XIV, 3. 3). — De titulo ἐθνικοῦ ἄρχοντος cf. Wad. 1221. — *Reis*. II, nº 235. — Lanckoronski. *Villes de la Pamphyl.* II, p. 235, nº 183.

(2) *Opr* nº 31. IX D, 13.

(3) Strab. *ibid.* — Litterae (*Opr.* Nº 19) a Sufena Vero ad Marcianum Lyciarcham, tanquam ad Lyciarcham nuper electum scriptae sunt, quum Marcianus antecedentis anni Flamen fuerit. Item significant litterae Rupilii Severi ad Mettium Androbium (*Opr.* N^is 44, 45).

(4) Incertis verbis Opramoae lyciarchia designatur : *Opr.* nº 30, VIII F, 6. — Vide supra, p. 92.

ut videtur, Lyciis carissimum Romani tollere noluerunt, dum intus nihil nisi vacuum contineret. Neque militiae neque vectigalibus neque rebus publicis gerendis Lyciarcha praefuit, quum haec omnia romani praesidis, legatorum procuratorumque essent. In rhodiapolensi quidem lapide, Opramoae lyciarchia tanquam στρατηγία designatur (XVIII F, 3) (1). Sed vocabulum hoc, provinciali aetate, jam omni publica auctoritate destitutum supra demonstravi (2).

Cujus ergo negotii competens Lyciarcha fuerit suspicari vix licet. Attamen haud semel per eum seu cum Concilio seu cum civitatibus romanus praeses communicat. Jam a Telemacho Lyciarcha Sidymaeorum de Gerousia instituenda postulationem proconsuli delatam didicimus (3). Nonnunquam Lyciarcha praesidem per litteras rogat ut honores a Concilio propositos ratos efficiat (4). Saepius ipse praesidis mandata nominatim accipit (5), ut ea concilio referat. Forsan principis praesidisve rescripta, quae τῷ κοινῷ mittebantur, in ejus manus primum veniebant.

De ceteris per conjecturas quaerendum est. Num Lyciarcha Concilium indicebat, deliberationi praeerat (6)? Num ceteros civiles magistratus, archiphylaca, hypophylaca, astynomos custodesque regebat qui pacem per festos dies servandam curabant? De publicis operibus nihil certius. Quando enim Lyciarchas aedificia exstruenda curantes comperimus, privato quidem studio eos permotos, non muneris sui officio functos esse constat.

(1) Cf. *Reisen*, II, n° 165, ubi matrem Opramoae ejusque fratrum, qui Lyciarchae fuerant, μητέρα στρατηγῶν designant.

(2) Vide supra, p. 28.

(3) Vide supra, p. 82.

(4) *Eran. Vindob*. p. 84, I. 4 et p. 86, I. 9 : ἐπιστολὴ Λικιννίου Στασιθέμιδος λυκιάρχου Φλαυίῳ Ἄπρῳ ἡγεμόνι καὶ ἀντιγραφὴ Ἄπρου.

(5) *Opr*. n° 18, V E.; n° 19, V F.; n° 45, XII B.

(6) Lyciarcha eponymus in dedicatione ex Letoo indicatur : *Reisen*. I, p. 123, 97 : Λυκίων τὸ κοινὸν Σέξστον Κλ. Κλεμεντιανὸν Κτησικλέα, καθὼς ἐψηφίσατο τὸ ἔθνος, λυκιαρχοῦντος τοῦ ἀξιολογωτάτου Μαρ. Αὐρ. Κυρείνα Λαίτου τοῦ καὶ Παίτου. Ibi de novo Lyciarcha, a Concilio nuper creato, agitur.

Quin Lyciarchae plurimas Communi civitatibusque ad aedificia exstruenda sive ad ludos edendos largitiones fecerint, quin et agonothesiarum sumptus susceperint minime dubium, sed eos semper tanquam privatos sic egisse arbitror (1).

An sacris quoque Lyciarcha operam daret, ambigitur. Lyciarchiam a provinciali flamonio alienam fuisse jam demonstravi. Sequitur porro ut inter ἱερωσύνας, de quibus Modestinus verba facit, non sit annumeranda, atque Lyciarcha ab Asiarcha ceterisque provinciarum flaminibus discrepaverit (2).

Discrimen inde oriebatur quod Asia provincia Romanorum arte ex diversis gentibus composita fuit, Lyciorum contra civitas, quum antiquitus exstaret, jamdudum peculiaribus institutis magistratibusque instructa erat. Provincialis facta, tamen proprio more aliquantulum sese gerere non desiit. Romani enim cunctis provinciis aequam normam easdemque leges imponere nunquam in animo habuerunt : unde fit ut antiqua multa, inter quae lyciarchiam, superesse libenter tulerint.

Quum autem praeter delubra colenda sacraque facienda nihil provincialibus publice agendum superesset, omnino ab his alienum Lyciarcham fuisse minime existimem. Etenim ad ludos edendos feriasque celebrandas viro praeside opus erat : quod munus pro sacro habebatur. Doctissimus Waddington Lyciarcham ludis

(1) *Opr.* Nº 32 IX F, 12 : πλείσταις δὲ καὶ ἄλ[λαι]ς ἀξιολόγοις καὶ πρωτευούσαις [πόλεσ]ιν [ἐ]κ τοῦ ἔθνους αἷς μὲν ἔργω[ν κατασκευ]ὰ[ς ποι[ο]ύ[μ]ε[νος καὶ ἀγωνο[θεσίας. — Cf. Nº 53, XIII C, 12, ubi describuntur, post ejus agonothesias, largitiones quas urbibus fecit : ἄλλην δὲ ἄλλως πόλιν εὖ ποιεῖν προη]ρημέν[ος τ]ῇ μὲν Τλωέων πόλει δεδώ[ρηται] δηνάρια ἑξακισμύρια εἰς ἔργων [κατασ]κευάς, [Πατα]ρεῦσιν δὲ ἄλλα ✻ δισ[μύρια] εἴς τε τὴν τῶν Σεβαστῶν εὐσ[έβειαν].. — Item et Pataraeorum oraculo, et Olympenorum Hephaesti delubro donat. Quae omnia, dum Lyciarcha erat, largitus est. — Cf. Myraeorum de Jasone Lyciarcha decretum. (*Serta Hartel*. p. 2, II, A, B).

(2) Ἔθνους ἱερωσύνη, οἷον Ἀσιαρχία, Βιθυνιαρχία, Καππαδοχαρχία, παρέχει ἀλειτουργησίαν ἀπὸ ἐπιτρόπων, τοῦτ' ἔστιν ἕως ἄρχη. (*Dig*. XXVII, 1, 6, 2). — Cf. *Basilic*. XXXVII, 1, 6 : οἱ ἱερεῖς τῶν ἐπαρχιῶν, τοῦτ' ἔστιν Ἀσιάρχαι καὶ οἱ λοιποί. — Guiraud, *Ass. prov*. p. 97 et 99. — Beurlier. *Culte des emp*. p. 125 sqq. — Vide et infra, p. 108.

qui θέμιδες vocabantur atque ex privatis donis exstabant, praefuisse contendit (1). De quo argumento sententiam hanc deduxerit me fallit. Namque in nonnullis inscriptionibus ludis praeesse quosdam, Lyciarchas dictos, videmus. Sed titulum hunc semper iis per totam vitam adhaesisse liquet, qui semel lyciarchiam expleverant. Plures ergo hujusmodi Lyciarchas, id est ex-lyciarcha, singulae urbes in numero civium suorum habebant. Praestantissimos hos viros ludorum praesides, claritudinis gratia, facere consentaneum erat. Inde autem non fit ut annuo Lyciarchae ludis praeesse incumberet. Saepe enim agonothesia in perpetuum Lyciarchis (id est ex-lyciarcha viris) conferebatur (2).

Opramoas plures agonothesias in urbibus, ubi civitate fruebatur, explevit, ut ex titulis insequentibus liquet : (*Opr.* IX B, 12. — IX G, 1 atque imprimis XIII C, 7) : παυόμενος δὲ τῆς ἀρχιερωσύνης [ἐκ] τῶν ἀναλωμάτων, ὧν εἴς τε τὰς [πόλεις, καὶ τ]ὸ ἔ[θ]νος ἐξεπλήρωσεν, εὐθέως ταῖς [ἀξ]ιολογωτάταις ἐν τῷ ἔθνει πόλεσ[ιν ἀγώνοθετ]ῶν ἀγωνοθεσίας ἐποιήσατο, ὥστε μίαν ἑκάστην ἀγωνοθεσίαν προσενε[νκεῖν τοῖς τῆ]ς ἀρχιερωσύνης ἀναλώμασιν, ἀγωνο[θ]ετήσας τῇ μὲν Μυρέων πόλει πανή[γυριν θεᾶς Ἐ]λευ[θέ]ρας καὶ τοῦ κυρίου αὐτοκράτορος, τῇ δέ Παταρέων πανήγυριν θεο[ῦ Πατρῴ]ου Ἀπ[όλλ]ωνος καὶ τοῦ κυρίου αὐτοκράτορος... — (XVII A, 11) : λυκιαρχήσαντι φιλ[οτεί]μως, δόντι κυνηγ[ίας κα]ὶ μονομ[αχ]ίας καὶ θεωρί[ας, ἀγω]νοθετή[σαν]τι ὑφ' ἕ[να καιρὸν ταῖ]ς ἐπισ[ημοτάταις] πόλεσιν, τῇ Μ[υ]ρέω[ν καὶ τῇ Πα]τ[αρέων] ἐν αἷς ἄγουσιν παν[ηγύρεσιν ἐ]πι[σή]μοις θεῶν καὶ τοῦ κυ[ρίου αὐτ]οκρ[άτο]ρος, καὶ δόντι πάλ[ι]ν [κυνηγίας καὶ μο]νομαχίας καὶ θεωρί[ας ἐν σεβασμίοις?] ἡμέραις, ἐφ' οἷς αἱ πόλ[εις ἐμαρτύρη]σαν αὐτῷ ἐπὶ θεοῦ Ἀδρια[νοῦ κτλ.

Quarum agonothesiarum nulla ante lyciarchiae annum suscepta est. Quum autem de Hadriano nuper defuncto agatur, in

(1) Wad. 1, 209.

(2) *Reisen*. I, p. 143, n[is] 118 et 121 : Ἐπὶ ἀγωνοθέτου διὰ βίου τοῦ ἀξιολογωτάτου λυκιάρχου Ἰουλίου Μεττίου Αὐρηλίου Φιλώτου τοῦ Ἀττάλου Καδυανδέως. — *CIG*. 4198. — Wad. 1257. — *Bericht*, p 39, n° 55 (Balbura) : Ἐπὶ ἀγωνοθέτου τοῦ ἀξιολογωτάτου γεγονότος λυκιάρχου Μάρκου Αὐρηλίου Τρωίλου Μάγαντος τοῦ Τρωίλου Βουβωνέος καὶ Καδυανδέος...

anno 137-138 collocantur, scilicet in eo ipso quo Opramoas lyciarchiam gessit.

Agonothesiam in panegyri deae Eleutherae, quae Myris celebrabatur, et Apollinis Patroi, quae Patarae, alii Lyciarchae incubuisse e titulis in honorem Jasonis Lyciarchae conscriptis constat [*Serta Hartel.* p. 2. II. A (Myra)] : ἠγ[ω]νοθέτησεν τῆς πανηγύρεος τῆς ἀρχηγετίδος θεᾶς Ἐλευθέρας φιλοτείμως καὶ με[γα]λο⟨ψυ⟩ψύχως, δωρέας τε μεγαλοπρεπεῖς πεποίηται εἴς τε κατασκευὴ[ν] στοᾶς πρὸ τοῦ κατασκευασμένου βαλανείου [πρ]ὸς τῇ πλατείᾳ ✻ μύρια κτλ... — [*Ibid.* II. B. (Patara)] : Ἐπεὶ Ἰάσων Νεικοστράτου, ὁ ἀξιολογώτατος πολείτης ἡμῶν, οὐ μόνον ἐν τῷ λα(μ)προτάτῳ Λυκίων ἔθνει τὴν ἑαυτοῦ μεγαλοφροσύνην δι' ἧς ἐτέλεσεν λυκιαρχείας ἐπεδείξατο, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμετέραν πόλιν διαφερόντως ταῖς τῆς ἀρχῆς φιλοτειμίαις ἐκόσμησεν, ὧν μέγιστον μέρος καὶ ἡ πρὸς τὸν πατρῷον ἡμῶν θεὸν Ἀπό[λλ]ωνα εὐσέβεια αὐτοῦ, κοσμήσαντος καὶ δι' ἀναθημάτων ἐπισήμων τὸ ἱερὸν, δι' ὧν φαίνεται διηνεκὴς ἥ τε πρὸς τὸν θεὸν εὐσέβεια καὶ ἡ πρὸς τὴν πόλιν τειμή.

Quibus e testimoniis haec colligam : Lyciarchae, ut Augustorum templis festisque indulserant dum flamonium gerebant, ita, lyciarchiam adepti, celeberrimis deorum indigenarum delubris, scilicet Eleutherae Archegetidi Myraeorum, Apollini Patroo Myraeorum, Hephaesto Olympenorum, etc. largiri solebant. Rem divinam facere non eorum fuit, quum communes municipalesque sacerdotes exstarent, sed panegyribus praeesse, ludos edere, templa suis sumptibus resarcire, quin etiam urbes pecunia sua adjuvare. Quibus agendis magis φιλοτιμίᾳ atque liberalitate, quam certo officio incitabantur.

Mos erat ab eo, qui lyciarchiam adeptus erat, ludos edi, seu in urbe quo comitia convenerant, seu in patria candidati civitate. Opramoas ludis, venationibus, gladiatoriis certaminibus, pompis, lyciarchiam suam illustravit. Item Licinnius Longus, in lyciarchiam mense octobri anni 126 designatus, statim circenses edidit, eo tempore quo munus capesseret (πρὸ τῆς λυκιαρ-

χίας) (1). Ludis donativa congiariaque accedebant : idem Licinnius quingentorum oenoandeorum Senatorum cuique quatuor frumenti modios nec non duo denaria donavit, et alia ducentis et quinquaginta pueris puellisque largitus est (2).

Quae quum ita usitarentur, Lyciarcha gravibus impensis onerabatur : tam sumptuosam dignitatem soli locupletissimi adoriri valuere. Praemium autem hoc munificentiae decerpebant, quod Lyciarchae etiam mortui adhuc nuncuparentur.

Qui munus deposuerat Lyciarcham honoribus laudibusque prosequi Concilium solebat (*Opr.* VII D, 5) : τὰς σ[υ]ν[ήθεις] τοῖς λυκιαρχήσασιν τειμὰς ἀπολ[αύειν]. — (*Serta Hartel.* p. 3. III C) : ἀποδεδόσθαι δὲ τῷ [Ἰάσονι... πάσας] τὰς καὶ τοῖς [ἄλ]λοις λυκιάρ[χα]ις [διδ]ομένας τειμάς.

Lyciarchae uxor λυκιάρχισσα vocabatur, quem titulum conservabat, etiam si alteri non Lyciarchae marito nuberet (3).

An bis lyciarchiam explere liceret, incertum.

(1) Qui, quum Augustorum sacerdotium cum conjuge sua Oenoandis prius explevisset quam Lyciarcha evaderet, ut ludorum sumptibus semel pro sacerdotio et pro lyciarchia subveniret sibi proposuisse videtur (Titul. oenoand. III. 32. (*Bericht.* p. 45 et p. 47. N° 61, v. 10). — Vide supra, p. 84.

(2) *Bericht.* N° 61. v. 11.

(3) *Reisen.* I. N^is 43 et 45.

CAPUT IX

De Augustorum flamine (ἀρχιερεὺς τῶν Σεβαστῶν).

Secundum Lyciarcham, summum locum ὁ ἀρχιερεύς τῶν Σεβαστῶν obtinebat. Cur infra Lyciarcham Augustorum Flaminem stetisse arbitrer supra exposui. Inde fit ut flamonium viris nondum Lyciarchis adipisci liceret, lyciarchia autem iis vetaretur qui flaminales non essent (1).

Flamen Augustorum eponymus in publicis Lyciorum actis erat. Annuum igitur munus explebat, quod rhodiapolensi titulo cyaneisque tabulis confirmatur (2).

Ab Ecclesia autumno cujusque anni, sive ante, sive post, post Lyciarcham, electus, calendis demum januariis munus inaugurabat. Romanus praeses candidatis favere non semper abstinebat.

Unum fuisse in toto Communi annuum ἀρχιερέα τῶν Σεβαστῶν constat. Flaminales autem et ipsi ἀρχιερεῖς, ut ii qui exlyciarcha *Lyciarchae*, per totam vitam dicebantur. Flaminis

(1) Discrepare cum ea norma forsan videbitur Licinnius Longus qui (Titul. oenoand. III. 31. — *Bericht*. p. 45) municipalis Augustorum sacerdos fuit, antequam Lyciarcha anno 126, Sacerdote flamine, creatus est. (Vide supra p. 85). Ipse autem ἀρχιερεύς sexto demum anno (133) post expletam lyciarchiam fuit (siquidem de uno eodemque viro, non de homonymis viris, agitur). Respiciendum tamen est : 1° flamonium anno 133 iterum capessere potuit Licinnius. — 2° vel cui flamonium jam primum expleverat, municipale sacerdotium in patria sua gerere non fuit insolitum. In Asia, plures provinciae flamines sacerdotio in patria sua capessendo non repugnaverunt (*CIG*, 3416, 3494, 3504).

(2) *Eranos Vindob.*, p. 83, 85. — *Serta Hartel*, p. 1 sqq.

insignia erant purpurea vestis aureaque corona (1). Itaque Opramoas dicitur ἀναλαβὼν καὶ τὸν τῆς ἀρχιερ[ωσύ]νης στέφανον (2).

Quo anno provinciale Augustorum flamonium apud Lycios instauratum sit, incertum. Nondum Lycia in provinciae formam redacta, a Lyciis deam Romam, jam primo ante Christum saeculo, honorari ex dedicationibus in Capitolio repertis (3) satis liquet. Communiter Romam apud eos adoratam alii tituli testantur, quum communes deae Romae sacerdotes, Augusti Tiberiique aetate, exstiterint :

1224 (Balbura) : ἱερασαμένου Λυκίων θεᾶς Ῥώμης. — *B C H.* X, p. 223 (Oenoanda) : ἄρξαντα καὶ Λυκίων τοῦ κοινοῦ ἱερωσύνην θεᾶς Ῥώμης. — Wad. 1290 (Aperlae) : ἱερατεύσαντα Ῥώμης καὶ Διὸς καὶ Ἀπόλλωνος. — *C I G* 4266 *b* (Didyma) : ἱερατεύσαντα τῆς θεᾶς Ῥώμης (4).

Augustus cum dea Roma conjunctus jam in Asia anno abhinc 29 a. C. colebatur (5). Sed apud Lycios nondum ex titulis innotuit. E divorum cultu vivi principis adoratio orta est. Imperante enim Tiberio, Polypercho quidam apud Pataraeos flamonium διὰ βίου divorum Germanici Drusique divique Augusti totiusque Caesarum domus explet, atque simul propheta sacerdosque Apollinis Patroi pronuntiatur (*J H S.* X, p. 76. N° 28) : Παταρέων ὁ δῆμος Πολυπέρχοντα Πολυπέρχοντος Δημη[τρί]ου Παταρέα τὸν ἀρχιερέα διὰ βίου θεῶν ἐπιφανῶν Γερμανικοῦ καὶ [Δρ]ούσ[ου?] καὶ τοῦ σύμπαντος αὐτῶν οἴκου, καὶ προφήτην τοῦ πατρῴου Ἀπόλλωνος, [καὶ ἱ]ερατεύσαντα τοῦ θεοῦ, καὶ πρυτανεύσαντα, καὶ γραμματεύσαντα [μόν]ον κα[ιροῖς] δυσὶν καὶ τὰς τρεῖς ἀρχὰς ἄρξαντα ἐν ἑνὶ ἐνιαυτῷ φιλοδόξως...

(1) Tertullien. *De idololatria*, 18. — Philostr. *Vita Sophist*. I. 21. — Guiraud. *Assembl. prov* , p. 124. — Lex Concilii Narbonensis. v, 16.

(2) *Opr.* VIII F, 4.

(3) Vide supra p. 18.

(4) Treuber. *Gesch. der Lyk.*, p. 123. adn. 4.

(5) Primum binis una diis templum Pergami anno 29 dedicatum Suetonius nos docet. Suet. *Aug.* 52.

πεπολειτευμένον δὲ καὶ τὴν πανήγυριν τὴν ἐπὶ Καίσαρι Γερμανικῷ καὶ τὴν ἐπὶ τῆς γενεθλίο[υ θεοῦ Σεβαστ]οῦ.

Primo in urbe Tlo Lycii vivi Tiberii Fortunam Providentiamve pompis, sacrificiis perpetuisque feriis communiter honorandam instituerunt (1) :

Τι]βερίῳ Καίσαρι, συν-
ι]σταμένη δὲ καὶ Σεβαστῶν [Τύχη (?)]
γένος κατὰ διαδοχὴν ἱερωτά-
την θεῶν ἐπιφανῶν οἶκον
ἄφθαρτον καὶ ἀθάνατον εἰς
τὸν ἀεὶ χρόνον. Λύκιοι δὲ [εὐ-
σεβοῦντες εἰς τὴν θεὸ[ν κε-
κρίκασιν ἐπιτελεῖσθα[ι ἐν Τλῷ
πομπὰς καὶ θυσίας καὶ [ἑορτὰς
εἰς τὸν αἰεὶ χρόνον, [ἡγη-
σ]άμενοι πόλιν ἱε[ρὰν εἶναι
τὴν Τλωέων, ἀγ[αθῶν ἀνδρῶν
γένος ἔχουσαν [καὶ ἐν παντὶ
καιρῷ ἠριστευ[κυῖαν, γενομ-
ένην κτλ. . . . .

Apud Balburaeos, Aurel. Thoantianus commune deae Romae sacerdotium explevit (2) ; ejus autem filius Tiberii Caesaris pro Communi sacerdos fuit (3), quod sacerdotium a superiore alienum videtur. Quanquam titulus, qui ea testatur, ineunte tertio p. C. saeculo incisus fuit, Tiberii Caesaris cultum jam ante Lyciam provinciam factam exstitisse arbitror, atque sejunctim superfuisse, etiam postquam Augustorum cultus in

(1) *CIG.* 4240. *b* (Wad. 1245). — In Asia, Smyrna primum imperatoris vivi colendi exemplum dedit, quum anno 23 seu 24 p. C., Tiberio ejusque matri senatuique templum dedicaret (Tac. *Ann.* IV, 15. — Dio Cass. LIX, 28).

(2) πατρὸς Θοαντιανοῦ ἱερασαμένου θεᾶς Ῥώμης (Wad. 1224. — *Reisen.* II. 236).

(3) *ibid.* καὶ αὐτὸς τοῦ κοινοῦ Λυκίων ἔθνους Τιβερίου Καίσαρος.

provincia inauguratus fuit. Claudius pariter colebatur. Titulus enim aperlaeus, anno C. circiter 80 incisus, quemdam commemorat ἱερατεύσαντα [Τιβερίου] Κλαυδίου Καίσαρος Σεβαστοῦ καὶ ἱερατεύσαντα Ῥώμης (1).

Paulisper igitur peculiariter imperatorem vivum colere civitates assueverunt, ita ut, Antoninorum aetate, omnino a dea Roma sejunctus imperator colatur. Ita in civitatibus res se habuit. In Communi autem sejuncta seu divi seu vivi imperatoris adoratio, Tiberio defuncto, gliscere desiit (2). Imperialis enim cultus in speciem Augustorum impersonaliter colendorum ordinatus est, qua divi vivique Augusti comprehendebantur. Augustorum in Lycia cultum Claudii temporibus, anno circiter 43 vel paulo post, institutum esse arbitrer, ubi Lycia cum Pamphylia in unam provinciam composita est. Tunc sane munus ἀρχιερέως τῶν Σεβαστῶν creatum, nec non provinciale Augusteum (Σεβαστεῖον) prope vetus Letoum exstructum (3).

Solus inter provinciales sacerdotes, Augustorum flamen ἀρχιερεύς dicebatur; ceteri, qui provincialia singulis in civitatibus Augustea pro Communi colenda curabant, ἱερεῖς nuncupabantur (4). Nonnullas urbes novimus ubi Augustorum sacerdotes, alii municipales, alii provinciales exstabant. Provincialia autem a municipalibus Augustea discernere non ubique licet. Equidem ab urbibus, quae Metropoles dicebantur, provincialia

(1) Wad. 1290. — Municipalia haec sacerdotia habenda sunt.

(2) Beurlier. *Culte des emper.*, p. 170.

(3) Sidymae Augusteum, Claudio imperante, aedificatum est (*Reisen*. I, p. 61 et 63. n° 30).

(4) Ἱερεῖς et ἱερείαι τῶν Σεβαστῶν Sidymae (*Reisen*. I. n^is^ 39, 43 47, 50); Kadyandis (*BCH*. X. 1886. p. 54. n° 10. — *CIG*. 4380 k *add*. — Wad. 1219); Bubone et Balburis (*CIG* 4380 i et *add*. p. 1168. — Wad. 1227); Kyaneis (*CIG*. 4303. h. *add*.); Phaseli (cum Athena Poliade conjunctim) (*CIG*. 4332 f.); Oenoandis (*Bericht*. p. 44. III. v. 31). — Augusteum erat Chomae (*Opr*. XIX C, 4); Rhodiapoli (*Opr*. I E.). — Provincialis Augustorum sacerdos Xanthi (*Reis*. I. p 93, n° 77).

Sebasteia possidata esse libenter existimem. Titulus autem urbis neocorae in Lycia semel, scilicet Acalissi, occurrit (1).

Plerique docti viri provincialem Augusti Flaminem Augustis colendis in tota provincia, nec non in singulis quoque urbibus praefuisse contenderunt. Nonnulli etiam universarum sacrarum rerum eos curatores et quasi maximos cunctorum deorum sacerdotumque, tam municipalium quam provincialium, pontifices seu archiepiscopos professi sunt (2). Equidem in sententiam eorum ire nequeo qui Augustorum Flamini sacerdotem Latonae, Apollinis Artemidisque paruisse sentiunt. Quin titulo ceteris sacerdotibus Flamen praestiterit non infitias eam, sed sub ejus auctoritate eos subjectos fuisse nihil testatur. Προεδρία, non potestate ornatus erat, nempe sacerdotum ἱεραρχία demum a Maximino Julianoque instituta est (3). An singula communia Augustorum templa custodienda Flamen haberet, an prope metropolitanum, veteri Letoo contiguum, Augusteum ei habitandum esset, incertum (4). Nam in Lycia gentis caput, ut videtur, nulla urbs fuit neque ulla ceteris provincialis ara praestitit, ut ara Lugdunensis apud Gallos (5).

Quomodo annuam panegyrim regeret, quae cum autumnali Concilio congruisse videtur, item ignoramus : sane Flaminis fuit preces recitare, sacrificia facere, pompas ordinare, id est eis tribus partibus ex quibus graeca festa constabant, scilicet θυσίαις, πόμπαις, ἑορταῖς, praesse. Quum de his omnibus lycii tituli sileant, ad libros, qui rem generaliter tractavere, confu-

(1) *Bericht*, p. 12, n° 37 : Αὐτοκράτορα Καίσαρα Μᾶρκον Αὐρήλιον [Κόμμοδον] Εὐσεβῆ Εὐτ[υχῆ Σ]εβαστὸν, τὸν σωτῆρα τῆς οἰκουμένη[ς, Ἀχαλισσέων ἡ βουλὴ] καὶ ὁ δῆμος τῆς νεωκόρου. — De neocoria, vide Büchener: *De neocoria*. — Beurlier. *Culte des emp.* p. 238.

(2) Treuber. *Gesch. der Lykier*, p. 226, n° 2. — Boissier. *Relig. rom.* I. p. 157-158. — Vide quae Guiraud (*Ass. prov.* p. 127) contra scripsit.

(3) Euseb. *Hist. ecl.* VIII, 4, 9. — Julian. *Epistol.* 63, 49, 21, 62.

(4) Senec. *De tranquillitate animi.* X. 3.

(5) Carette. *Ass. prov de la Gaule rom.*, p. 76.

giendum est (1). Ludis, qui cum annuo Concilio congruebant, praesse potuit; sed ut hoc necessitudine fecerit non certum :

Τὸν ἀρχιερέα τῶν Σεβαστῶν καὶ γραμματέα Λυκίων τοῦ κοινοῦ, ἀρχιερατεύσαντα δὲ τῶν Σεβαστῶν καὶ ἀγωνοθετήσαντα ἐν τῇ ἡγμένῃ ἐν τῷ παρ' ἡμεῖν ἁγιωτάτῳ ἱερῷ τῆς Λητοῦς εὐσεβῶς καὶ φιλοδόξως (2). Ibi, Agonethetam in Letoo Flaminem videmus. Etiam in aliis festis agonothesiam capessere Flamini licebat : cf. C. Julium Demosthenem ἀρχιερέα τῶν [Σεβαστῶ]ν καὶ γρ. Λυκ[ίων] τοῦ κοινοῦ καὶ ἀγωνοθέ[την] τῶν πενταετηρικῶν μεγάλων ἰσολυμπίων Οὐεσπα[σιανε[ίων].

In eis autem quae ἐθνικὴ πανήγυρις (3) feriae dicebantur, Augustis una deisque indigenis (θεοῖς πατρῴοις) solemnia habita esse probabile existimo. Titulus enim, qui supra, ferias in Letoo celebratas esse testatur; alia quoque exempla e rhodiapolensi lapide producenda sunt, ex quibus in municipalibus feriis Augustos una cum indigetibus diis honoratos fuisse constet (4). Ἐθνικὴ πανήγυρις sane non quotannis in Letoo, sed vicissim in singulis urbibus quo Concilium conveniret, celebrata est.

Ludos sumptibus suis edendos is, qui flamonium adoriebatur, promittebat. Quin Concilium ad templa colenda, victimas comparandas ludorumque impensas solvendas pecuniam e provinciali arca depromeret, non dubium. Item urbes pro viribus suis e δημοσίοις πόροις ad municipales ferias conferebant. Sed magistratibus munus erat ejusmodi impensis si non cunctis, saltem

(1) Guiraud. *Ass. prov.* p. 120. — Carette. *Ass. prov de la Gaule rom.* p. 67 sq.

(2) Dedicatio ex Letoo. *Reisen.* I, p. 122, N° 93.

(3) *Reisen.* I, p. 123. N° 96.

(4) *Opr.* XIII C. 10 : ἀγωνοθετήσας τῇ μὲν Μυρέων πολει πανήγυριν θεᾶς Ἐλευθέ[ρας καὶ τοῦ κυρίου αὐτοκράτορος, τῇ δὲ Πατταρέων πανήγυριν θεο]ῦ Πατρῴου Ἀπ[όλλ]ωνος καὶ τοῦ κυρίου αὐτοκράτορος. — *ibid.* XVII B, 1 : ἀγω[νοθετή]σαν[τι ὑφ' ἕ]να καιρὸν τ[αῖς ἐπισ]ημο[τάταις] πόλεσιν, τῇ Μυρέω[ν καὶ Πα]τ[αρέων] ἐν αἷς ἄγουσιν πανηγύρεσιν ἐπισήμοις θεῶν καὶ τοῦ κυ[ρίου αὐτοκράτο]ρος. — XVIII G, 8 : Ὀλυμπηνῶν δὲ τῇ πόλει εἰς πανήγυριν θεοῦ Ἡφαίστου [καὶ τοῦ κυρίου αὐτο]κράτορος. — XIX B, 5 : τῆς θεοῦ (Tychopoleos apud Myraeos) καὶ τοῦ μεγίστου αὐτοκράτορος συνηστήσατο δὲ καὶ πανήγυριν).

plerisque, communem municipalesque areas liberare (1). Opramoas enim haud semel laudatur quod pro Communi, dum flamonium gerebat, impensas solvit :

Opr. VII D, 1 : τήν τε ἀρχιερωσύνην... [ἐν ᾗ ἐπ]λήρωσεν πάντα τὰ εἰς τὴν εὐσέβειαν τῶν αὐτοκρατόρων ἡμῶν? ἀναλώματα τῷ κοινῷ τῷ Λυκίων. (Cf. VIII F, 1 ; IX G, 2 ; XIII C, 6).

Non modo ipsorum ludorum impensas fortunis suis magistratus solvere solebant, sed et civibus pecuniam distribuendam curabant, qua per festos dies isti jucundius viverent. Ea enim mente Licinnius Longus, Opramoas ceterique plurima donativa fecerunt iis qui Concilio panegyrique adesse debebant (2). Exempli gratia, haec producam :

Opr. N° 32. IX. G, 2 : αἷς δὲ δωρέα[ς χρη]μάτων ἐπιδ[εδ]ωκώ[ς], ἐξ ὧν ἡ κα[τ' ἔ]τος [πρ]όσοδος ἐν ταῖς [ἐπι]σήμοις καὶ σεβασμίοις ἡμέραις διανέμεται, κοινῇ τε τῷ ἔθνει ἀ[ί]διον δωρεὰν κεχάριστ[αι] ε[ἰ]ς ὁμοίαν διανόμην... Cf. *JHS.* X. p. 64. N° 17 (Lydae) : πανηγυρέων ἐπίδοσιν ποιησάμενον τῇ πατρίδι καὶ ταῖς πόλεσιν καὶ τῷ κοινῷ Λυκίων ἔθνει. — *Bericht.* p. 49. l. 12 : ποιησάμενον δὲ καὶ ἐπιδόσεις χρημάτων εἴς τε νόμας καὶ τέρψεις πανηγυρικάς.

Illa onera, quae Flaminibus incumbebant, quibusdam privilegiis pensabantur. Gentium enim praesidatui immunitas a tutela (ἀλειτουργησία ἀπὸ ἐπιτρόπων) tribuebatur (3), quamdiu munus gerebatur. De ceteris autem Flaminum privilegiis doctissimi viri

(1) Opramoas Corydallaeis restituendam pecuniam voluit quam civitas ad tres gymnasiarchas alendos eodem anno ex arca sua deprompserat (*Opr.* XIV G, 10) : τὰ μὲν ἐ[κ τῶν] δημοσίων πόρ[ων προ]κείμενα χαρ[ισάμε]νος, ἐγ δὲ τῶ[ν ἰδίων] πάντα τὰ [ἀναλώμα]τα πο[ρισάμενος?]

(2) *Bericht*, p. 47. N° 61.

(3) Ἔθνους ἱεραρχία, οἷον Ἀσιαρχία, Βιθυνιαρχία, Καππαδοκαρχία παρέχει ἀλειτουργησίαν ἀπὸ ἐπιτροπῶν, τοῦτ' ἔστιν ἕως ἂν ἄρχη. (Modestinus. lib. II. Excusationum. *Dig.* XXVII, 1, 6, 14. — L, 4 et 18, 1. — Ulpian. *de officio praetoris tutelaris. Fragm. Vatic.* 173. — *Basilica.* XXXVII. 1, 6). Apud Lycios provinciae flamonium ἀλειτουργησίαν fuisse testatur Philostrates, de sophista Heraclide, qui ex Lycia oriundus erat. (Philostr. *Vit. Soph.* II, 26, 1.)

scripserunt (1). Quod ad Lyciam pertinet, eorum sententias recentiores tituli minime emendaverunt.

Laudes in Flaminis pietatem, benevolentiam, munificentiam (εὐσέβεια, φιλοτιμία, μεγαλοψυχία) Concilium lapidibus inscribendas statuebat, statuas, imagines, honoresque decernebat, quae quidem cuncta saepissime ipsius honorati sumptibus.

Aliud flaminalibus privilegium tributum videtur, scilicet ut ἀρχιερεῖς, id est flaminales, in perpetuum designarentur. Saepe ἀρχιερέων legationes a Senatu vel ab Ecclesia mittebantur, ut romani praesidis de postulatione quadam sanctionem rogarent (2) : quum autem plures una in Communi Flamines non exstiterint, flaminales ita significari recte censuit doctissimus Loewy (3).

Flaminis uxor et ipsa Flaminica (ἀρχιέρεια) nuncupabatur (4). Oportebat ut ingenua esset. In Lycia sane, haud secus atque in Asia, Flamini facultas non data est ut cum filia ancillae justis nuptiis jungeretur (5). Quaesitum est an Flaminicae proprium sacerdotium incubuerit (6), scilicet Romae deae vel Augustarum, vel an mariti sacerdotii socia ac consors modo fuerit (7). Qua de quaestione lycii tituli nihil nos certiores faciunt (8).

In Asia flamonium haud semel explere Flamini nec non

(1) De flaminum privilegiis in genere, vide Guiraud, *Ass. prov.* p. 94 et 134, adn. 2.

(2) Opr. IV F, 5 : καὶ πρεσβευσαμένων τῶν ἀρχιερέων ὁ κράτιστος ἡγεμὼν συνκατέθετο. — Idem V C, 10 et VI A, 12.

(3) *Reisen*. II, p. 120, n. 7.

(4) *Reisen*. I, n° 54, p. 78. — II. p. 79, n^is 227, 228. — *CIG*. 4289. — Wad. 1297.

(5) Monceaux. *De communi Asiae*, p. 50.

(6) Quod Carette. *Ass. prov. de la Gaule*, p. 96 sine argumento asserit.

(7) Beurlier. *Culte des emper.* p. 152.

(8) De flaminica provinciae, vide Legem concilii narbonensis. — Carette, *Ass. prov. de la Gaule rom.* p. 97 sqq.

Flaminicae fas erat (1). Item sane in Lycia, quanquam iterati flamonii nullum adhuc certum exemplum praebetur (2). — Flaminica a Concilio non eligebatur ; ipsa enim matrimonii necessitudine Flaminica, ubi vir ejus Flamen, evadebat.

(1) Vide titulum cibyraticum (*Bericht*, I, n° 9) in Marciam Tlepolemidem, ἀρχιέρειαν τρὶς, ἐκγόνην Φλ. Κρατέρου ἀσιάρχου δὶς καὶ ἀρχιερέως θυγατέρα Μαρκίου Δηιοτεριανοῦ λυκιάρχου.

(2) *Reisen*. I. p. 123. n° 96 : ἀγωνοθετήσαντα β τῶν πατρῴων θεῶν μεγίστην καὶ ἐπώνυμον ἀρχὴν municipalem apud Xanthios magistratum designare mihi videtur.

CAPUT X

De Flamine simul atque communi Scriba.

Haud secus atque Lyciarcha, provinciae Flamen romani praesidis epistolas pro Communi accepit (1). Etenim saepissime una cum flamonio et communis Scribae munere fungebatur, utpote ἀρχιερεὺς τῶν Σεβαστῶν καὶ γραμματεὺς Λυκίων τοῦ κοινοῦ vel τοῦ Λυκίων ἔθνους (2). Cujus rei causa sane erat quod pleraque negotia, de quibus in Concilio ageretur, ad sacra pertinebant. Quamobrem non immerito honoraria decreta eponymo Flamini custodienda committebantur, quum ferme cuncta de largitionibus in divinam utilitatem factis, de feriis ludisque sacris statuerent.

Communis Scriba publicorum actorum communisque tabularii (3) custodiae praepositus erat. Ejus opera decretorum exemplaria ad civitates mittebantur, ubi in municipalibus tabulariis deponebantur. E titulis cyaneis, decreta ab autumnali Concilio conscripta mense januario seu maio in municipale tabularium allata fuisse comperimus (4).

Ὑπογραμματεύς scribae adjunctus erat (5).

(1) Epistola Senecae ad flaminem Flavium Attalum. *Opr*. n° 24. VII A.

(2) *Reisen*. I. n° 37, 89, 93. — II, n° 162 et 226. — *Opr*. IV D, 13 ; VII A, 3 ; IX A, 14 ; XIX F, 11 ; XX F, 10. — Γραμματεύ]σαντα.. . τῷ ἔθνει. *Reis*. I, n° 35. 77. — *B C H* 1893. p. 170. — Wad. 1266. — *C I G*. 6446. — *J H S*. X. p. 67. N° 18 A. et p. 69. N° 19. — *Bericht*. p. 48. N° 63. l. 25. — Sejunctus tamen a Flamine communis Scriba aliquatenus praebetur, ut Sergia Marcius Thoantianus quem γραμματεύσαντα Λυκίων τοῦ κοινοῦ, sine flamonii mentione, novimus. (*Bericht*. p. 48. N° 63, v. 4).

(3) Quod Patarae situm fuisse probabile est.

(4) *Eranos Vindob*. p. 84 et 85. Vide supra, p. 75.

(5) *Reis*. II. N° 237 : ὑ]πογραμμια[τεύσαντα] Λυκίων [τοῦ ἔθνους ἀξί]ως. — *BCH* (1886) p. 51 (Cadyanda) : τὸν ἐξιόντα ὑπογραμματέα Λυκίων τοῦ κοινοῦ.

CAPUT XI

De aliis communibus Augustorum sacerdotibus.

Ut supra exposui, praeter Flaminem, alios etiam provinciales Augustorum sacerdotes exstitisse comperimus, qui ἱερεῖς τῶν Σεβαστῶν dicebantur. Ii, quum pro Communi metropolitana sane Augustea administranda curarent, a Concilio eligebantur uxoresque eorum ἱερεῖαι dicebantur. Eos Flamini paruisse nihil testatur. Communes illos sacerdotes a municipalibus discernere saepe arduum est. Eorum catalogum jamjam exscripsi (1).

(1) pag. 106. n. 4.

CAPUT XII

De sacerdote Apollinis Patroi patriorumque deorum.

Augustorum cultu apud Lycios instaurato, indigenae dii non ideo obsoleverunt, sed a primo loco depulsi sunt. Patrii igitur dii (πατρῷοι θεοί), scilicet Apollo Patrous, Leto, Artemis, a Communi adorari festisque celebrari non desiti sunt. Vetus illud eorum commune delubrum, quod Letoum vocabatur, a propriis sacerdotibus administrabatur. Nonnulli quidem docti viri Romae Augustique sacerdotium cum Apollinis Patroi sacerdotio confundi contendere (1). Quorum in sententiam ire non possim. Apollinis enim ἐθνικὴν πανήγυριν una cum provincialibus in Augustos feriis conjunctam jam supra exposui, atque eosdem utrorumque ludis tum in Communi quam in civitatibus praefuisse (2). Sacerdotes autem Apollinis Augustorumque iidem nunquam fuerunt.

Etenim ut communis Apollinis Patroi sacerdos ab Augustorum Flamine alienus fuerit plurima exempla testantur (3). Qui quidem inter ἐθνικοὺς ἄρχοντας numerabatur atque in annum eligebatur.

(1) Beurlier. *Culte des emper*. p. 130. « Le dieu de la Confédération, Apollon, avait un prêtre particulier qui ne disparut pas sous l'empire, mais qui devint prêtre de Rome et de l'empereur. »

(2) Quod egregie doctissimus Guiraud suspicatus erat. *Ass. prov*. p. 121 : « Il est donc permis de croire qu'il n'y avait pas deux séries distinctes de fêtes fédérales, mais plutôt qu'on les célébrait toutes ensemble dans la même session. » — Vide supra, p. 100 et 108.

(3) Wad. 1221. Ἱερασάμενός τε ἐν τῷ ἐξιόντι ἔτει Λυκίων τοῦ κοινοῦ θεοῦ Πατρῴου Ἀπόλλωνος. — *Reisen* I. p. 65, n° 35 : καὶ ἱερατεύσαντα καὶ ἀρχιφυλακήσαντα τῷ ἔθνει haud dubio ad sacerdotium Apollinis Patroi referendus est. — *B C H*. X. p. 225 (Oenoanda) : γενόμενον πρότερον μὲν ἱερέα

Sed in honorum cursu infra Augustorum flaminem locum obtinet. Ideo, quoties ejusmodi personam decreto honorandam Concilium statuerat, non modo erga deos indigetes, sed primo erga Augustos pietatem laudandam curabat, ne Augustorum divinitatis aemulum quemquam deum arbitrari videretur. Eadem prudentia de Lyciarcharum meritis, ut supra dixi, verba faciebant. Ea igitur ratione, ni fallor, in titulo, qui infra, Augustorum mentio explananda est (1) :

[Λυκίων τὸ κοινὸν ἐτείμησε Τρωΐλον τ]ὸν καὶ Να[ιούϊον Βαλβουρέα, ἱερ]έα πατρῴου [θέου Ἀπόλλων]ος, ψηφίσματι [τῷ ὑπογεγραμ]μένῳ. Εἰσηγησαμέ[νου μὲν Φιλ]ολάου δὶς τοῦ Ἀρτεμᾶ Τ[ε]λ(μησσέως), ἐπιψηφι]σαμένου δὲ Ἑρμαίου τοῦ.......α Τλωέως, ἔδοξε Λυκίω[ν τῷ κοινῷ]· ἐπεὶ Τρωΐλος Θόαντος Μηνοφίλου ὁ καὶ Ναιούϊος Βαλβουρεὺς ν[εανίας κα]λὸς καὶ ἀγαθὸς καὶ διὰ τὰ ἤ[θη σεμν]ὸς καὶ χωρὶς φιλοτειμιῶν π[αντὸς ἄξι]ος ἐπαίνου διὰ τὴν τοῦ βίου [σεμ]νότητα, ὑπάρχων δὲ καὶ ἐκ προγόνων φιλότειμος τῷ τε Λυκίων ἔθνει καὶ τῇ ἑαυτοῦ πατρίδι, ἱερασαμένός τε ἐν τῷ ἐξιόντι ἔτει Λυκίων τοῦ κοίνοῦ θεοῦ πατρῴου Ἀπόλλωνος, τά τε πρὸς ἐυσέβειαν τ[ῶ]ν Σεβαστῶν καὶ τοῦ θεοῦ ἐπλήρωσεν, καὶ τὰ πρὸς φιλοτειμίαν τοῦ ἔθνους ἐκτε[ν]ῶς ἀπήρτισεν. δίκαιον δέ ἐστιν τοῖς τοιούτοις τὰς πρεπούσας ἀποδίδοσθαι τιμάς· τύχῃ ἀγαθῇ [δε]δόχθαι Λυκίων τῷ κοινῷ τετιμῆσθαι τὸν Ναιούϊον ταῖς ὑπογεγραμμέναις τειμαῖς· Λυκίων τὸ κοιν[ὸν ἐτείμη]σεν ταῖς πρώταις τιμαῖς, ε[ἰκόνι] ἐπιχρύσῳ καὶ ἀνδριάντο[ς ἀναστάσει Τρ]ωΐλον Θόαντος Μηνο[φίλου τὸν καὶ Ν]αιούϊον Βαλ(βουρέα), νεανία[ν καλόν καὶ ἀγ]αθὸν διὰ προγόνων, [υἱὸν ἐθνικοῦ ἄρχ]οντος Μηνο[φίλου, ἀδελ]φὸν ἐθνικῶν ἀρχόντων, Κάστορος Θόαντος καὶ Πολυδεύκου Θόαντος, συνγενῆ ἐθνικῶν καὶ αὐτῶν ἀρχόντων, καὶ αὐτὸν δὲ ἐθνικὸν ἄρχοντα, ἱερασάμενον Λυκίων τοῦ

Πατρῴου Ἀπόλλωνος Λυκίων τοῦ κοινοῦ, μετὰ ταῦτα δὲ ἀρχιφυλακήσαντα. — *Opr.* II B, 8 : ἐν δὲ τῷ Λυκίων ἔθ[νει ἱερατεύσ]αντος τοῦ κοινοῦ θεοῦ Πατρῴου Ἀπόλλων[ος ....ἀρχιφυλακήσαν]τος Λυκίων τοῦ κοινοῦ κτλ. — III F, 1 : ἱερατε[ύ]σαντος θεοῦ Πατρῴου Ἀπόλλωνος ὑπὲρ [α]ὐτοῦ καὶ τῶν υἱῶν μεγα[λ]οψύχως καὶ ἐπεικῶς καὶ σπουδαίως μετὰ ἀναλωμάτων πλείστων.

(1) Wad. 1221 — Emendavi cum *Reisen*, II, nº 235.

κοινοῦ θεοῦ πατρῴου Ἀπόλλωνος, καὶ πάντα πρὸς εὐσέβειαν τῶν Σεβαστῶν καὶ τοῦ θεοῦ πληρώσαντα, δόντα δὲ καὶ τοῖς συνελθοῦσιν Λυκίων ἀρχοστάταις καὶ βουλευταῖς καὶ κοινοῖς ἄρχουσιν διανομῆς ἀνὰ ✻ Β ἐκ τῶν ἰδίων, δόντα δὲ καὶ τὰ ὡρισμένα τῷ ἔθνει ἄλλα ✻ ΙΒΦ, καὶ αὐτὰ ἐκ τῶν ἰδίων, καὶ [δ]ικ[αίᾳ] τοῦ βίου ἀναστροφῇ σεμνῶς καὶ πάσῃ ἀρετῇ κεκοσμημένον.

Unde minime colligendum sit Troilum Naevium una Augustorum Apollinisque Patroi sacerdotem fuisse, sed, dum Apollinis sacerdotium explebat, ejus erga Augustos pietas non praetermittitur ne pluris Apollinem facere quam dominum imperatorem Concilium videatur. Item, in rhodiapolensi titulo, quoties Opramoae erga indigenas deos beneficium quid refertur, simul et de domino imperatore eum bene meritum esse pronuntiant, quasi caverent ne princeps indigetae deo invideret (1).

Ubi contra de profanis, ut ita dicam, Opramoae beneficiis agitur, scilicet hoc modo (XIII C, 12) : τῇ μὲν Τλωέων πόλει δεδώ[ρητα]ι δηνάρια ἑξακισμύρια εἰς ἔργων [κατασ]κεύας, de imperatore siletur.

Unum communem Apollinis Patroi sacerdotem exstitisse existimem. Plures autem civitates municipalia patriorum deorum delubra possidebant : πατρῷοι θεοί enim habebantur varii dii, qui, Apollinis nomine, colebantur, scilicet Apollo Patareus (2), Apollo Surius (3) : quorum panegyris una cum Augustorum municipali festo celebrabatur. Si quis autem municipales ministros (plerosque διὰ βίου delectos) communi Apollinis Patroi Sacerdoti paruisse contendat, non committam ut ei assentiar.

Uxorem sacerdotis ipsam Apollinis Patroi antistitam fuisse verisimile est.

(1) *Opr.* XIII C, 13 : Παταρεῦσιν δὲ ἄλλα ✻ δισ[μύρια] εἴς τε τὴν τῶν Σεβαστῶν εὐσέ[βειαν] καὶ ἐπὶ [τὸ ἀ]ρχαῖον αὐτῶν καὶ ἀψευδὲς [μαντεῖ]ο[ν ....Ὀ]λυμπηνῶν δὲ τῇ π[ό]λ[ει εἰς πανήγυριν θεοῦ Ἡ]φαίστου [καὶ τοῦ] κ[υ]ρίου αὐτοκράτορος ✻ μύρια καὶ δισχείλια.

(2) Vide indigenarum deorum ferias, p. 100 commemoratas.

(3) *Serta Hartel.* p. 2. II B. — *Bericht.* p. 18. n° 62. I. 10.

(4) *Reisen.* II. n°s 82, 83, 84.

CAPUT XIII

De ceteris magistratibus, scilicet de Archiphylace, Hypophylace, etc.

Infra Lyciarcham, ejusque, ut videtur, auctoritati subjecti plures annui magistratus fuerunt, scilicet :

1°) Archiphylax. Ut ex ejus titulo constat, pacem custodiendam curabat, praesertim per dies festos, dum Concilium communisque panegyris habebantur (1). Custodibus sane ipse imperabat, qui stipendium a Communi merebant. In honorum cursu, plerique ex Apollinis Patroi sacerdotio Archiphylaces evadunt (2), unde sequitur ut gradu Augustorum flamonio protinus archiphylacia subierit. Multi inter Lycios, quos patrimonii mediocritas lyciarchiam flamoniumve adoriri vetabat, archiphylaciam summum ambitioni suae terminum proposuere (3). Impensae nihilominus expers munus erat ; nam, utpote Archiphylaces, Apollonius II, Opramoae pater, ejusque filius Opramoas eximia liberalitate de Lyciis bene meriti sunt. Quin etiam

(1) *Opr.* IV E,6 : τῷ δὲ κοινῷ τῷ Λυκίων ἀρ[χιφυλα]κίαν [τετέλ]εκεν καὶ τοῖς ἀναλώμασιν ἀσυν]κρίτ[ως καὶ] τῇ περὶ τὴν εἰρήνην ἐπιμελείᾳ δ[ια]φερό[ντως..] — II E, 5 : ἐν δὲ τῷ Λυκίων ἔθνει ἐπάξι[ος ἀ]ρχιφύλαξ Λυκίων τὴν μὲν ἀρχὴν ἐπεικῶς [καὶ σ]εμνῶς τελεῖ τῆς τε εἰρήνης καὶ τῆς εὐθη[νία]ς μετὰ πάσης φροντίδος προνοούμενος. — Cf. *BCH.* 1886, X p. 225 : καὶ μετὰ πάσης εἰρήνης καὶ εὐσεβείας τὴν ἀρχὴν ἐκτελέσαντα.

(2) *BCH.* 1886. X p.225 (Oinoanda) : γενόμενον πρότερον μὲν ἱερέα Πατρῴου Ἀπόλλωνος Λυκίων τοῦ κοινοῦ, μετὰ ταῦτα δὲ ἀρχιφυλακήσαντα.

(3) Wad. 1224. — *Reis.* I, nos 43, 48, 77 ; II, 226, 236. — *Opr.* II, E, F, G. — III A B E G. — IV E. — V B, XIII C. — *BCH.* 1886 (Oenoanda), X, p. 220 l. 17.

Opramoas, dum archiphylaciam explebat, pro Communi ex propriis opibus pecuniam promutuam fisco commodavit, in qua recuperanda benignissimum sese deinde ostendit (1). Pariter de alio ex Oenoandis Archiphylace comperimus (2). Unde haud immerito doctissimus Loewy collegit (3) muneris officio Archiphylacem coactum fuisse ut pro Communi vectigalia fisco sponderet, aliquandoque ex propriis fortunis promutuam procuratori pecuniam praestaret, conservata quando quomodoque vellet recuperandi facultate (4). Non igitur mirum si singulari amicitia Archiphylaces procuratoresque conjuncti haud semel fuerint, ut Opramoas cum Caelio Floro (5).

Forsan et nundinas quae cum Concilio panegyrique quotannis habebantur (6) custodiendas Archiphylax habuit. Quamobrem εἰρήνην καὶ εὐθηνίαν tutus Opramoas Archiphylax laudatur (7).

Praeter hanc, quæ *magna* dicebatur, archiphylaciam (ἀρχιφύλακος Λυκίων ἀρχιφυλακείας τῆς μεγάλης) (8), minorem Archiphylacem titulus quidam testatur, cujus auctoritati Cragi montis regio parebat : μετὰ ταῦτα δὲ ἀρχιφυλακήσαντα ἐν τῇ πρὸς τῷ Κράγῳ συντέλειᾳ (9). Hoc provinciale munus fuisse ex eo liquet, quod is Archiphylax antea Apollinis Patroi sacerdotium expleverat, quod a Communi laudatur atque pro Communi ipse pecuniam

(1) *Opr.* II, E, 9 : τὰ δὲ ἀναλώματα μεγαλοψύχως ὑφίστα[ται] τὴν πρὸς τὸν φίσκον ὑπὲρ τοῦ ἔθνους εὐσέβειαν ἐκπληρῶν ἐν οἷς ποιεῖται προσεισοδιασμοῖς ἐκ τῶν ἰδίων, τῇ δὲ ἀναπράξει μετὰ πάσης φιλανθρωπίας συναρχόμενος προσέρχεσθαι. — III F, 15 : τούς τε φόρους ὑπερεισοδιάσας κομίζεται μεχρὶ τοῦ πε[ριόντος ?...

(2) *BCH.* 1886, X, p. 225 : πληρώσαντα καὶ [εἰς] τὸ ἱερώτατον ταμιεῖον τοὺς ἱεροὺς φόρους καὶ τὴν πρᾶξιν ποιησάμενον ἐπεικῶς καὶ τειμητικῶς.

(3) *Reisen.* II, p. 120, adn. 1, 2, 3.

(4) *Opr.* vide supra n. 1 et 2.

(5) *Opr.* n° 13.

(6) Euseb. *Hist. eccles*, V, 1, 10. — Guiraud. *Ass. prov.* p. 123.

(7) *Opr.* II, E, 5

(8) *Reisen.* I, p. 70, n° 48 (Sidyma).

(9) *BCH.* X, 1886, p. 225. (Oenoanda). De Cragi syntelia, vide supra p. 42-43

promutuam fisco commodaverat. Archiphylaciam juvenibus (νεανίαις) adoriri licebat (1).

Infra Archiphylacem de Hypophylace mentio fit (2).

Agonothesiae nonnullae Archiphylaci incumbebant. Etiam ei aliquando jurisdictio quaedam a romano praeside committebatur. Etenim de archiphylace Opramoa traditur quo modo : τὰς ἐνχε[ιρισθεί]σας αὐτῷ κρίσεις διοίκησεν ἐπιμελῶς καὶ δ[εξί]ως. (*Opr*. III G, 3). — Cf. IV E, 9 : κ]αὶ ἐν αἷς ἐπιστεύθη παρὰ τοῦ τότ[ε ἡγεμ]όνος [Ἰουλίου Φρουγι πίστεσιν καὶ διοικήσεσιν πᾶσαν ἁγνείαν καὶ σπο[υ]δὴν εἰσενενκάμενος. (Cf. et V B, 15 sqq.). Κρίσεις καὶ διοικήσεις significant, aut ego fallor, Opramoam *judicem peregrinum* (ξενοκρίτης) a rectore provinciae creatum fuisse (3).

Quaesitum est an ταμίας τοῦ κοινοῦ, id est communis arcarius, exstiterit (4). Equidem, quum nulla istius tituli mentio nobis in honorum cursibus occurrerit, Archiphylacem de re pecuniaria curavisse exstimem.

(1) *BCH*. 1886, X, p. 223. Ex titulo Buboneo Marcum Aurelium Magantem ὑποφυλακήσαντα καὶ ἀρχιφυλακήσαντα decimo octavo aetatis suae anno defunctum constat. (*Bericht*, p. 40, nº 56.)

(2) *CIG*. 4332. — Wad. 1224. — *Reisen*, I, nºˢ 43, 44, 46, 47, 49. 77; II p. 146. Adn. 2. nº 164. — *BCH*. 1886, X, p. 220, nº 3. — *Bericht*. p. 40, nº 56. — Aliud quoque officium in titulis occurrit, de quo nihil adhuc certum pronendum est (*Reisen*. II, nº 164) : καὶ ἐπιστατήσαντα τῶν μεταπεν[... καὶ ὑποφυλα]κήσαντα (de Apollonio II, Opramoae patre, agitur). — (*J H S*, X. p. 76, nº 28 Patara) : ὑποιππαρχήσαντα καὶ ἐπιστατήσαντα τῶν μετανει[....]πο[λι]τικ[ῶ]ς καὶ ἴσως. (Qui titulus intra annos 23-43 C. conscriptus est).

(3) De judicibus peregrinis. cf. Daremberg et Saglio, *Dict. des Anitq*. s. v. *Conventus*. In titulo pinareo de simili quadam dioecese agitur (*Bericht*. p. 21, nº 7) : ...τοῖς μὲν τῶν ξενοκριτῶν [συνελθοῦ]σιν ἀνά ⊣ε′... δεξάμενον ἀόκνως τὰς διενγυήσεις τῶν ἐπικ[λήτων....]κείας, διοικήσαντα καθαρῶς καὶ ἀδωροδοκήτως [τὴν τοῦ σε]μνοτάτου δικαιοδότου καὶ τὴν τῶν ξενοκριτῶν [ἀρχήν ?

(4) Henzen. *Annali*, 1852, p. 158. — Wad. 1266. — Guiraud. *Ass. prov*. p. 144.

CAPUT XIV

De honoribus.

Mos erat ut decedentibus a munere suo magistratibus Concilium laudes honoresque lege constitutos decerneret. Nonnulla decreta de honoribus lyciarchiae debitis testantur :

Serta Hartel, p. 3. III, B et C : ἀποδεδόσθαι δὲ τῷ [Ἰάσονί? ἀνδρὶ πάσας?] τὰς καὶ τοῖς [ἄλ]λοις λυχιάρ[χαις [δεδ]ομένας τειμάς. — *Opr.* VII D, 5 : [κ]α[ὶ ἐν τῷ νῦν ἔ]τει ὀφείλοντος αὐτοῦ τὰς σ[υ]ν[ήθεις] τοῖς λυκιαρχήσασιν τειμὰς ἀπολ[αύειν].

De honoribus alicui decernendis plerumque amicus seu cognatus apud Senatum Ecclesiamve, tanquam εἰσηγητής, rogationem proponebat (1). Postquam honorum inscriptio (εἰσγραφαὶ τειμῶν) (2) postulata erat, sanctio romani praesidis seu per Lyciarchae Flaminisve epistolam poscebatur. Assentiente praeside, tunc rato firmoque decreto honores tribuebantur (ψήφισμα εἰσδόσεως τειμῆς).

Ut supra demonstravi, communes Flamines pridie calendas januarias a munere abibant ; gentici autem magistratus, Lyciar-

(1) *Eranos Vindob.* p. 86, l. 4. — Wad. 1221. — *Reisen*. II, nº 236.

(2) *Eranos. Vindob*. p. 85 : Μαυσώλου Ναγουλλίου Πολυχάρμου ἰσγραφαὶ τειμῶ[ν] ἰς τὸ ἔθνος Μαυσώλου τοῦ Ἰάσονος, id est : Mausolus Nagullius honores Mausolo, Jasonis filio, decernendos rogat. — *Serta Hartel*. I, l. 19 : Τα[νδά]σε[ος ?] τοῦ Δημητρίου πρυτάνεως εἰσγραφαὶ τειμῶν, id est : honores a Tandasi (?). Demetrii filio, (in Jasonem Lyciarcham) rogati. — *ibid*. l. 21. Δημητρίου β τοῦ Μεγίστου γ̄ εἰσγραφαὶ τειμῶν Μαυσώλου τοῦ Ἰάσονος, id est : honores Demetrius II, Megisti III filius, Mausolo, Jasonis filio, decernendos proposuit. Genitivus porro, qui εἰσγραφαὶ τειμῶν antecedit, rogatoris, qui autem subsequitur, honorandi viri nomen significat.

chae, Archiphylaces, etc., desinente septembri. Honores igitur plerumque autumnali Concilio, quo decedens magistratus rationes prodiderat (1), decernebantur. Opramoas de archiphylacia, eo autumno, quo munus deposuerat (anno 125), honoratus est (*Opr.* II E, 6) : ἀρχιφύλαξ Λυκίων τὴν μὲν ἀρχὴν ἐπεικῶς καὶ σεμνῶς τελεῖ. Tunc, honorarium decretum sane eo tempore conficiebant quo candidatum in successionem honorati designaverant, id est post comitia : sic, ni fallor, ii qui αὐτενιαυτοί τειμαί (2) honores vocantur intelligendi sunt. Flamines autem Augustorum, munere pridie calendas januarias deposito, non protinus honorabantur, sed demum insequenti autumno, postquam rationes recitaverant. Nemini vero, ut videtur, seu Flamini seu Lyciarchae, honores contigere, donec rationés suas non prodidisset (3). Itaque, anno 136, quo Opramoas flamonium explevit, nullum decretum de ejus meritis a Concilio conditum est.

Honores communibus magistratibus a Communi tributi ἐθνικαὶ τειμαί, municipales autem πολιτικαὶ τειμαί, dicebantur (4). Plures honorum gradus fuere numeris distincti, quum inferiores primi, superiores vero majore semper numero designarentur :

(1) Wad. 1221 : ἱερασάμενός τε ἐν τῷ ἐξιόντι ἔτει. — τὸν ἐξιόντα ὑπογραμματέα (*BCH.* X, p. 51). — Ὁ προεξίων ἀρχιφύλαξ (*Opr.* III E, 2). Opramoas archiphylaciam anno 124/6 expleverat ; decretum hoc Viberino flamine, autumno anni 127, confectum est. — Plerumque vocabula ἀρχιερέα seu λυκιάρχην κτλ. γεγενημένον vel γεγονότα usurpant.

(2) *Opr.* III G, 4 : ὡς διὰ ταῦτα τετειμῆσθαι αὐτὸν καὶ αὐτενιαυτοῖς ὑπὸ τοῦ ἔθνους τειμαῖς. Cf. quae supra (p. 89) de Opramae lyciarchia scripta sunt et *Opr.* VII D, 5.

(3) Heberdey. *Opr* p. 60. — Huic quidem normae titulus cyaneus (vide supra p. 83) repugnare videtur, in quo Mausolus, Jasonis filius, honoribus atque apologo ornatus fuit, mense octobri ejusdem anni quo flamonium explebat. Sed ad quoddam anno antecedente jam expletum munus, seu Apollinis sacerdotium, seu archiphylaciam, non ad flamonium nondum peractum, hos honores pertinere arbitrer. Nempe, ni fallor, saepius accidit ut praesidis romani sanctio post dimissum Concilium ad Lycios pervenerit, ita ut honores in insequentem autummum dilati fuerint. Saepius quoque honoribus rogatis aliquis obstabat, quod tunc de Mausolo accidit ut ex verbo apologo conjiciam (vide p. 125).

(4) Municipales enim honores eadem ratione componebantur.

primi ergo, secundi, tertii, quarti, etc. honores exstabant. Inter honores autem cujusque gradus plures saepe anni intercedebant. Summus, de quo tituli testantur, numerus sextus est : quem assecutus est Opramoae pater (1). Nihilo inter se discrepasse honorum gradus nisi numero videntur. Plerique enim aeneam statuam (εἰκὼν χαλκῆ, ἀνδρίαντος ἀνάστασις. (*Opr.* II F. — Wad. 1221) auratamque pictam effigiem (καὶ εἰκὼν γραπτὴ ἐπίχρυσος), quibus saepe adjiciebantur aurea corona (χρυσοῦς στέφανος) (2), praesidatus in spectaculis ludisque (προεδρία), purpuraque in perpetuum (πορφύρα διηνεκής vel διὰ βίου) (3). Mos, quando de persona jam haud semel honorata agebatur, honores ei ante tributos commemorare (*Opr.* IX B, 4) : τειμηθέντα τά|χει πολλῷ]? μὲν ταῖς. α'. καὶ β'. καὶ γ'. καὶ δ'. [τειμ]αῖς καὶ πάλιν προεδρίᾳ διηνεκεῖ καὶ πορφύρᾳ διὰ βίου καὶ ταῖς κατ' ἔτος τειμαῖς. In honorariis decretis, majorum, totius gentis, patris, aliquando matris merita, magistratus, beneficia laudibus extollere solebant, propria deinde honorati facta propriumque honorum cursum jactare. Decretoria formula terminabantur hujusmodi : Λυκίων τὸ κοινὸν ἐτείμησεν κτλ. Quae formula in basibus statuarum ipsius decreti effectu erectarum, inscribebatur.

Ii plerumque honores usitabantur. Insoliti autem aliquando nobis occurrunt.

1°) Annui honores (αἱ κατ' ἔτος τειμαί), qui Opramoae primum decreto n° 20 conferuntur, postquam Communi 55 000 denaria donaverat. Quos quotannis, ut supra dixi, renovandos Senatus curabat, postquam semel a romano praeside atque ab Ecclesia rati firmique effecti erant, cum formula : δεδόχθαι τετει-

(1) *Opr.* V G, 10. — *Reis.* II. n° 164.

(2) De corona aurea primis honoribus adjecta. Wad. 1221. (*CIG.* 4380 n.); hypogrammati tributa : *BCH.* X. p. 51.

(3) *Opr.* IV B, 13; D, 10. — V B, 4. — V F, 7. — VI B, 7 : E, 6. — VIII F, 13. — IX B, 6. — Cf. *Reisen.* II. p. 240-241. *Index.* s. v. τιμῶ. — De Proedria purpuraque flaminalium vide Legem concilii narbonensis.

μῆσθαι αὐτὸν καὶ ἐν τῷ ἐνεστῶτι ἔτει τειμαῖς ταῖς ὑπογεγραμμέναις : Λυκίων τὸ κοινὸν καὶ ἡ βουλή ἐτείμησεν (*Opr.* VI E, 12). — vel ἐν τῷ ἐνεστῶτι ἔτει καθὼς τὸ ἔθνος ἐψήφισται καὶ συνγεγράφθαι τόδε ψήφισμα (*Opr.* VII F, 10; senatorium decretum).

Decretum solum renovabatur; statuas autem, effigies, coronasque quotannis novas inde confectas esse non arbitror.

2°) Annui honores in singulis urbibus renovandi (αἱ κατ' ἔτος κατὰ πόλιν τειμαί), qui Opramoae, decreto n° 30, postquam eos Seneca abnuerat, collati sunt. Quo decreto vir honoratus facultatem habuit ut aeneas statuas auratasque effigies sibi in urbibus, quas ipse designaret, dedicandas provideret. Annuis autem magistratibus incumbebat ut honorarium de re decretum in Concilio quotannis renovandum curarent : τὰς δὲ τῶν κατὰ πόλιν καὶ κατ' ἔτος τειμῶν αὐτοῦ εἰσγραφὰς γείνεσθαι ὑπὸ τῶν κατὰ ἔτος ἀρχόντων εἰς τ[ὰ κατ' ἔ]τ[ος ἀρχ]αιρέσια (*Opr.* IX D, 12).

Respiciendum autem est ipsum honoratum ambitionis suae impensis e propria pecunia subvenisse, ne tanto sumptu provincialis arca oneraretur.

3°) Praeter varios honorum gradus, lycii principes honoraria *testimonia*, quae μαρτυρίαι dicebantur, maximi faciebant. Quae a communi Ecclesia Senatuve, a provinciae rectore vel ab Augusti procuratore (1), denique ab ipso imperatore impetrabant. Ecclesiae testimonium saepe cum honoribus ministrabatur. Hoc modo plerumque res se habuit :

Senatus Conciliumque postulationem (ἐπιβόησιν) fieri instituebant quae provinciae rectori Augustive procuratori per flaminalium legationem mittebatur. Legatis mandatum fuerat ut pro Communi testarentur quemdam virum de lycia gente bene meritum esse, honorariumque decretum sanciendum proponerent. Hoc erat Concilii testimonium. Legatione autem recepta, praeses

(1) Procurator Augusti (ἐπίτροπος) saepius praesidis (ἡγεμόνος) impediti vicem explebat.

vel procurator per epistolam Concilio respondebat, non omissis viri laudibus, honoresque permittebat. Quod responsum praesidis testimonium erat. Eodem modo civitatium testimonia conficiebantur, praesidumque responsa ad urbes pro testimoniis item valebant (1). Haec omnia testimonia accurate in honorariis decretis commemorantur his verbis : μεμαρτυρημένον πλεονάκις καὶ κοινῇ καὶ κατὰ πόλιν καὶ ὑπὸ ἡγεμόνων καὶ ὑπὸ ἐπιτρόπων (*Opr.* N° 15. IV G, 4).

Praesertim vero ad imperiale testimonium provinciales contendebant. quod tanquam totius vitae praemium plurimi faciebant. Hoc autem duobus modis impetrabatur :

a) Provinciae rector a Concilio rogabatur ut honorarium decretum, quod ipse probaverat, principi transmitteret, ut ex ea formula liquet : τόδε ψήφισμα διαπενφθῆναι τῷ κυρίῳ αὐτοκτάτορι ὑπὸ τοῦ κρατίστου ἡγεμόνος Κυΐντου Οὐωκωνίου Σάξα (*Opr.* IX H, 6 ; XV E, 7 et XIX D, 9).

An decreto transmittendo obstandi jus praeses haberet, nec non, ignoramus. Imperator autem brevia plerumque respondebat : a se decretum receptum, testimonia de viro ejusque meritis se non obliturum. Sic (*Opr.* n° 44) Antoninus ad Commune : [Ἔμαθον] καὶ πρὸς ὅσας πόλεις [ἐπο]λειτεύσατο καὶ ἐν καιροῖς τί[σιν Ὀπραμ]όας Ἀπολλωνίου δ[ὶς τοῦ Καλλιάδου ἰδίᾳ κοιν]ῇ τε πεποί[ηται. Τὸ ψ]ήφισμα ἔπεμψε Ρου[πίλιος Σεουῆρος ὁ] κράτιστ[ος τοῦ ἔθνους ἡ]γεμών.

b) Saepe Concilium testimonia sua ad imperatorem deferenda legatis ad hoc electis committebat : (*Opr.* VII D, 10) : δεδόχθαι τῷ κοινῷ τῶν Λυκίων φανερὰν γενέσθαι τῷ μεγίστῳ αὐτοκράτορι Τίτῳ

(1) Haec exempla producam. *Opr.* N° 6. Trebius Maximus ad Myraeos : Ὀπραμόας... τῷ γεγενημένῳ ἀρχιφύλακι, ἀνδρὶ ἐκ προγόνων εὐσχήμονι ὑφ' ὑμῶν οὕτως μαρτυρουμένῳ συνήδομαι, εἴς τε τὴν ὑμετέραν τειμὴν μᾶλλον αὐτὸν ἀγαπήσειν ὁμολογῶ. — Cf. n° 7. id. ad Korydallaeos. — N° 8. Caelius Florus ad Myraeos : Ὀπραμοᾳ... συνήδομαι μὴ μόνον ὑπὸ τῶν αὐτοῦ πολειτῶν ἀξιουμένῳ μαρτυρίας ἐκτενοῦς, ἀλλὰ καὶ ὑμῶν αὐτῶν πληρέστατα μαρτυρούντων δι' ὧν ἐπεστάλκετε κ[αὶ ἐμοὶ ψηφισμάτων...]. — Cf. N°s 1, 4, 10.

Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνείνῳ Σεβαστῷ Εὐσεβεῖ διὰ τοῦδε τοῦ ψηφίσματος τὴν τοῦ ἔθνους [γν]ώμην, [ὅτι μα]ρτυρεῖ [αὐτῷ περὶ τῆ]ς [ἀρχῆ]ς, ᾑρῆ[σθαι δὲ] καὶ πρέσ[βεις τοὺς ἀ]ν[αδώ]σοντας τὸ [ψήφι]σμα τοῦ[το καὶ δι]δά[ξον]τας τὸν κύριον αὐτοκράτορα περὶ κτλ. (Cf. XIII F). — *Serta Hartel*. p. 3. III. B : ἔδοξεν συνγραφῆναι τὸ ψήφισμα ὃ καὶ ἀνα[δ]ο[θῆν]αι τῷ μεγίστῳ αὐτοκράτορι ὑπὸ Γαΐου Λιχ. Φρόντωνος. — Reponsum imperatoris (*ibid*. III. D) : τεκμηρίοις τοῖς [ἐπεσταλμέ]νο[ις] ὑφ' ὑμῶν [π]ρὸ[ς] ἡμ[ᾶ]ς. Ἐπρέσβευεν Λικίννιος Φρόντων. Εὐτυχεῖτε.

Tum responso princeps Concilium de recepta legatione certius faciebat testimoniumque gentis probabat. Sic, Opramoas postquam lyciis urbibus terrae motu dirutis liberaliter succurrerat, Concilium Eupolemum de ejus meritis testaturum ad imperatorem delegavit (*Opr*. N° 53). Imperator epistola, N° 40 (XI C, 10) ita respondit : « Ὀπραμόας κτλ.... προσῆκον ἦν τὸ ἔθνος αὐτῷ μαρτυρῆσαι. Ἐπρέσβευεν Εὐπόλεμος Εὐπολέμου. Εὐτυχεῖτε. »

4°) Aliud autem honorarium testimonium cyaneae tabulae ἀπόλογον designant (1). Ejusmodi apologos Concilium civitatesque decernebant. Doctissimus vir Kalinka apologum honorarii decreti (εἰσγραφαὶ τειμῶν) complementum fuisse contendit, quo indicaretur ex provinciali arca decreti sumptus depromi, non ex privata honorati pecunia. Doctissimus contra Heberdey (2) apologo Concilii relationem *(Rechenschaftsbericht)* significari arbitratur, quando quis honores decernendos interpellaverat. Cui libenter assentiam atque *apologum* utpote μαρτυρίαν interpreter qua Concilium interpellatam ab aliquo sententiam confirmaret accusatumque virum etiam tum fide sua dignum profiteretur.

Accidebat enim aliquando ut propositis honoribus obstaretur, seu a provinciae rectore, seu ab aliquo honorati viri aemulo invidoque. Is autem, cujus fama lacessebatur, seu per se ipsum

(1) *Eran. Vindob.* p. 86 sq. — *Serta hartel.* p. 1 sqq.
(2) *Serta Hartel.* p. 7.

seu per amicos omni opera nitebatur ut jus suum obtineret honoresque impetraret. Res plerumque ad principem referebatur. Duae ejus generis lites nobis innotuerunt, scilicet Opramoae cum Seneca, Jasonis cum Molete.

A

Jam supra narravi (1) quibus de causis Seneca, provinciae rector, honores Opramoae Lyciarchae decernendos interpellaverit. E rectoris sententia ad principem Xanthii provocaverunt : ἐπίκλησις ἐπεδόθη ἐπὶ τὸν κύριον αὐτοκράτορα τῷ ὀνόματι τοῦ Ξανθίων δήμου (N° 26. VII D, 8). Quin etiam, autumno anni 138, Opramoa lyciarchiam deponente, Concilium duo cives ad imperatorem delegare instituit qui amice de Opramoa et de Xanthiorum provocatione testarentur (N° 26 VII E, 2) : ἀναδώσοντας τὸ ψήφισμα τοῦτο καὶ διδάξοντας τὸν κύριον αὐτοκράτορα... περὶ τῆς τοῦ Ὀπραμόου λυκιαρχίας καὶ τῆς ἀπὸ τοῦ ἔθνους πρὸς αὐτὸν εὐνοίας καὶ περὶ ὧν ἐπικέκληται Ξανθίοις. Martyriam autem hanc benigne a principe acceptam fuisse constat : nempe Corn. Proculus, Senecae successor, anno 139 Concilium monuit ut honores ministrare non amplius vetaretur (2).

B

Rem autem Jasonis ex tabulis cyaneis (3) pariter sese habuisse mihi fingo. Singula autem, observatis temporibus, ordinare oportet.

1°) Jason, Nicostrati filius, anno 143/4 lyciarchiam gessit (4). Ubi autem munus suum deposuit, jam de honoribus ei tribuendis in communi Senatu agitatum est, rogatioque sane conscripta

(1) Vide p. 91.

(2) Cf. de provincialis Concilii cum praeside controversia celeberrimum in vico Thorigny repertum lapidem.

(3) *Serta Hartel.* p. 1 sqq.

(4) Flamen anno 139 fuerat. (*Opr.* N° 28).

est quae Concilio proponanda esset. Huic enim probouleumati, ni fallor, alluditur his verbis : *Serta Hartel.* III. B : ἐφύλαξε [καὶ αὐτὸς] (id est princeps), τὴν τοῦ ἔθνους γνώμην περὶ ὧν ἐψηφίσατο τειμῶν Ἰάσονι Νειχοστράτου γεγονότι λυκιάρχῃ.

2°) Moles quidam hoc propositum interpellare statuit, neve a provinciae rectore probaretur, Junio Paeto praesidi scripsit (20 mensis Deii. — januarii. 145). Quibus sane litteris Jasonem accusavit praesidemque rogavit ut accusationem Caesari traderet. Junius Paetus responsum dedit, secunda die mensis Apellaii (februarii), quo sane rem Romam a se delatam profitebatur.

3°) Tunc Senatus testimonium de Jasone conficiendum statuit, quod legati, Licinnio Frontone duce, Romam asportarent : καὶ ἔδοξεν συνγραφῆναι τὸ ψήφισμα ὃ καὶ ἀνα[δ]ο[θῆν]αι τῷ μεγίστῳ α[ὐτο]-κράτορι ὑπὸ Γαΐου [Λιχ]ιννίου Φρόντωνος. *Sert.* (*Hartel.* B, 8, 9). — τεκμηρίοις τοῖς [ἐπεσταλμέ]νο[ις] ὑφ' ὑμῶν πρὸς ἡμᾶς. (*Ib.* 3, D, 14).

4°) Cyanea autem ecclesia, die tertia mensis Artemisii (julii), Jasoni apologum decernit. Iterum autem (21 mensis Daesii-augusti) Moles Junio Paeto scribit, sane ut apologo contradiceret sententiamque Caesaris exspectandam contenderet.

5°) Interdum legati Romam pervenerant remque principi detulerant. Caesar, Moletem calumniatum ratus, sententiam Jasoni secundam dedit honoresque probavit : ἐν δὲ τῇ ἀχθείσῃ ἐπ' αὐτὸν κατηγορίᾳ ὑπὸ Μολέους... ἐπιγνοὺς συκοφαντούμενον Ἰάσονα κτλ... ἀποδεδόσθαι δε τῷ Ἰάσονι ἀνδρὶ ? πάσας τὰς καὶ τοῖς ἄλλοις λυκιάρχαις δεδομένας τειμάς. Caesaris rescriptum, quod Romae intra medium mensem augustum mediumque septembrem anni 145 confectum est, ad Lycios tres post menses sane pervenit, peracto jam autumnali Concilio. Itaque die decima octava mensis Hyperberetaei (decembris), Junius Paetus Moletis epistolae demum respondere potuit, sane ut eum de imperatoria sententia certiorem faceret.

6°) Insequente anno 146, cyaneo prytani Tandasi (?) senten-

tiae auctore, die tertia mensis Xandici (junii) honores Jasoni cyaneus Senatus decrevit, die prima mensis Artemisii (julii) apologum (sane de Mausolo, Jasonis filio) conscripsit, et die tertia ejusdam mensis julii duo decreta in honorem Mausoli emisit (1), non omissis sane patris laudibus. Die decima tertia mensis Loi (octobris), Myraei Pataraeique de Jasone amicissime decreverunt. Denique communis Senatus, dum concilium etiam tum habebatur, sententiae auctore G. Licinnio Frontone, qui sane Roma redierat, Opramoa Senatus praeside, gratias agendas Antonino Pio instituit (ψήφισμα εὐχαριστητικόν), quod gentis de Jasone voluntatem probaverat, decusque Jasonis nec non lyciarchiae salvum voluerat. — Quod subsequitur imperatorium rescriptum, de quo supra. Forsan et communis Ecclesiae de Jasonis honoribus ratum firmumque decretum periit.

(1) Qui Mausolus idem sane est atque Flamen (post annum 152) alio titulo cyaneo commemoratus (Vide supra p. 83 et 122).

CAPUT XV

De magistratibus suffectis.

Viam ad summos honores eis solummodo apertam supra demonstravi qui impensis subvenire valerent, certaque fortunarum summa fruerentur. Nonnunquam autem viri locupletissimi, quum jam ipsi honorum fastigium assecuti essent, aut corporis infirmitate vel alia privata causa impedirentur ut munus susciperent, filios suos ad honorum cursum inchoandum hortati, eos suffragiis praebebant. Deficiente autem filiis patrimonio, legibus concessum fuit (1) ut pro filio candidato atque ejus nomine pater muneris editionem repromitteret. Cujus rei nonnulla exempla lycii tituli proferunt. Sic (*Opr.* III F, 1). Apollonius II, Apollinis Patroi sacerdotium proprio suo ac filiorum suorum nomine explevisse dicitur : ἱερατε[ύσαντος θεοῦ Πατρῴου Ἀπόλλωνος] ὑπὲρ [αὑτοῦ καὶ τῶν υἱῶν μεγα]λοψύχως (2). Scilicet, Apollonius II, postquam ipse sacerdos fuerat, filios suos Apollonium III ac deinde Opramoam suffragiis praebuit, et, dum ii muneris officiis fungebantur, ipse muneris impensis subvenit. Tunc in honorariis decretis, suffectum sine titulo qui pecuniam ministraverat Lyciorum gratia prosequebatur, non eum qui nihil, nisi operam suam, donaverat. Unde fit ub ab Opramoae honorum cursu, Apollinis Patroi sacerdotium

(1) *Cod. Just.* X, 61.

(2) Cf. IV D, 8 et V B, 1 : καὶ τῷ ἔθνει πεπλήρωκεν ἀρχαῖς καὶ ὑπὲρ αὑτοῦ καὶ ὑπὲρ τῶν τέκνων, et *Reisen*. II. nº 164

absit (1). Alias (*Opr.* n° 14), Pomponius Vettonianus, praeses, narrat quo modo Apollonius II, filio suo Apollonio III flamonium ambiverit, fortunam suam Lyciis quasi offerens : καὶ ἀνιέντι ὑμεῖν τὸν ἑαυτ[οῦ πλοῦτο]ν. Item de liturgiis atque agonothesiis (*Reisen.* I, n° 96) : τελέσαντα καὶ τὰς λοιπὰς λειτουργίας καὶ ὑπὲρ τῶν ἐγγόνων (2).

(1) Apollinis Patroi sacerdotio, in honorum cursu, archiphylacia par erat.

(2) Cf. *ibid.* n° 77, v., 13. — *BCH.* VII, p. 273 (Nysa).

CAPUT XVI

Quomodo nobilissimae Lyciorum domus propriae claritudini nec non provinciae prosperitati studuerint.

Honorati Lycii in statuarum basibus, quas sibi, ex Concilii decreto, dedicaverant, decretoriam formulam incidendam curabant, scilicet : Λυκίων τὸ κοινὸν ἐτείμησεν... Unde fit ut plurimi honorum cursus nobis servati sint. Nonnulli autem, dum adhuc vivebant, mausoleum sibi ornatissimum, priscorum Lyciorum more, sibi parabant, cujus muris cuncta de suis dignitatibus publica acta, scilicet decreta, testimonia, praesidum imperatorumque epistolas, eaque *in extenso*, inscribenda providebant. Ceteris quidem hujusmodi monumentis, tam materiae formaeque pulchritudine quam inscriptorum lapidum numero, valde praestat rhodiapolense heroum, quod sibimet ipsi Opramoas aedificavit. Quo nobis circa 69 acta publica innotuerunt. Etiam nonnullae gentes privatum suum tabularium lapidi inscribendum palamque exponendum volebant, ne honorum a suis expletorum memoria periret. Ejus generis sunt tabulae cyaneae, de quibus haud semel verba feci (1). Genealogiae quoque nobis servatae sunt, quibus eximie lycii fasti illustrantur, ut genealogia domus cujusdam oenoandeae quae tot Lyciarchas annumeravit (2).

(1) *Eran. Vindob.* p. 83 sqq. — *Serta Hartel.* p. 1 sqq.
(2) *Bericht*, p. 43.

Cuncti illi tituli lyciae nobilitatis fastos nobis tradiderunt. Quum enim iis, qui provincialia munera affectabant, magnis facultatibus opus esset, factum est ut paucissimi tanto oneri pares essent, honoresque ad easdem plerumque domos redirent. Patrimonio una patrisque nobilitati juvenes succedebant. Cui ergo Lyciarcha Flamenve pater erat, illum ipsa fortuna ad lyciarchiam flamoniumque destinaverat. Insigniores inter lycias domos nobis innotuerunt gens rhodiapolensis Apollonii et Opramoae, gens ex urbe Lydis Julii Heliodori Diophantisque (1), gens balburaea Menophili, Troili Naevii, Musaei, Marci Aurelii Thoantiani (2), gens cyanea Jasonis Mausolique (3), gens xanthia sidymaeaque Tiberii Claudii Telemachi Licinniique Stasithemidis (4), gens oenoandea Trocondae ejusque posterorum, inter quos Thoas Licinniusque Longus eminuere (5), gens cibyrea Marsyae, Troili Philagri et Polydeucis (6), etc. Ex his gentibus plures civitatem romanam ingressi, provincias regendas suscepere, etiam consulatum obtinuere (7).

Illae domus, quae provinciae primores sese jactabant (8) divitiis suis minime pepercere ut claritudinem suam beneficiis alerent. Theatra, balneos, templa sumptibus suis aedificavere. Quum anno circiter 141, lyciae urbes terrae motu dirutae essent, Opramoas plus quam 350 000 denaria pecunia sua deprompsit ut resarcirentur (9). Mulieres ipsae liberalitate viris aemula-

(1) *JHS*. X, p. 58.

(2) *Reisen*, II, p. 119.

(3) *Eranos Vindob*. p. 83. — *Serta Hartel*, p. 1 sqq.

(4) *Reisen*. I, nis 41, 42.

(5) *Bericht*, p. 45.

(6) *Reisen*. II, p. 187. — *Bericht*, p. 2, n° 5.

(7) Treuber. *Gesch. der Lykier*, p. 220, n. 3. — Alia exempla in titulo oenoandaeo, p. 47.

(8) *Opr*. XIX D, 14 : ἐκ τῶν πρωτε[ύοντων ἐν τῇ ἐπαρχείᾳ [γένους ὤν.

(9) *Reisen*. II, p. 119.

bantur. Cui munificentiae, optimi imperatores, praesertim autem Antoninus Pius, benigne favebant, haud immerito rati idem principi atque provinciis emolumentum esse. Haud inique porro Opramoae voluntas decreto quodam expressa est, ubi dicitur : (*Reisen*. II. p. 123. — *Opr*. XV E, 1 ; XIX D, 6) : ἡγούμενος καὶ ταῦτα τὰ ἀναλώματα εἰς [τὴν εὐσέβει]αν τοῦ κυρίου αὐτοκράτορος [συν]τε[λεῖσθαι, αὐτ]ῷ κτιζομένων καὶ κοσμουμέν[ων τῶν] πό[λεων.

CAPUT XVII

De provincialis Concilii supremis temporibus.

Post illam Antoninorum aetatem, qua ad id prosperitatis culmen provincia assecuta est ut anteriora posterioraque tempora ommino obscurata fuerint, subit mira lapidum inopia, haud secus ac si vita de tota Lycia extemplo recessisset. Pauciora nobis vestigia occurrunt, ut lycii Communis suprema tempora enarrare, quin perspicere nobis liceat. Etenim post Heracleidem sophistam, qui in Lycia Augustorum flamonium gessit, imperante Septimio seu Alexandro Severo (1), nullum archierea posthac novimus. Communes autem nummos etiam Gordiano imperante, plurimos cum effigie Gordiani Tranquillinaeque Lycii cudere (2).

In milliario, prope Pydnas reperto, Diocletiano Maximinoque Augustis, Constantio Valerioque Maximiano Caesaribus (post 293) dedicato, Xanthus adhuc metropolis nuncupatur (3).

Anno circiter 311-312, ad imperatores Maximinum, Constantinum Liciniumque Lycii Pamphyliique legationem de christianis proscribendis fecere, eos imperiali majestati divinitatique molestos professi. Quae rogatio παρὰ τοῦ [Λυκίων καὶ Π]ανφύλων ἔθνους δέησις καὶ ἱκεσία designatur (4).

(1) Philostr. *Vit. Sophist.* II, 26, 1, 3, 20, 2. — Archiereus quidem ignotus, Perpetuo Cornelianoque Cos. (post Ch. 237), in titulo nobis occurrit (*Reisen.* II, n° 83).

(2) Mionnet. *Supplem.* VII, p. 2, 3. — Head. *Hist. num.* p. 576.

(3) *Reisen.* II. 121 a.

(4) Titulus Arycandis ab Austriacis anno 1892 repertus. Vide Mommsen. *Arch. epigr. Mitheil. Oesterr. Ungarn.* 1893. p. 93-108. — *Revue archéol.* 1893 [1]. p. 254. — Reinach. *Chron. d'Orient.* II. p. 263.

Ut a Conciliis utriusque gentis petitio condita fuerit, nisi certum, probabile. Concilia enim ipsi imperatores tunc hortantur ut « arbitrio suo condant cuncta decreta, aut commodum quod credunt consulant sibi, quod sentiunt eloquantur, decretis conditis missisque legatis (1). »

Post annum 325, imperante Constantino, Lycia, a Pamphylia disjuncta, proprio praesidi commissa est (2). Nulla igitur ratio fuit cur ei Concilium ademptum sit. Augusto mense anni 392, Theodosius Lycios, propter Tatiani erga Rufinum offensionem, infames pronuntiavit eosque a cunctis muneribus exclusos voluit (3). Quam infamiam Arcadius Honoriusque, pridie cal. sept. 396, levaverunt (4).

Ineunte autem quinto saeculo, jam Augustorum cultus obsoleverat, Flamines non jam a Conciliis eligebantur, Conciliaque de rebus divinis non curabant, ne christianorum fidei offenderetur. Provincialia quidem festa etiam tunc edebantur, omni sacro apparatu adempto, ita ut neve christianos neve paganos spectaculis adesse puderet.

Ut videtur, Lyciorum Commune, ut cetera in Oriente, intra annos 438-533 interiit. Imperante Justiniano, Lycia provincia cum Myris ecclesiastica Metropoli ab Hierocle notatur (5).

(1) Constantii constitutio de Africanis provinciis. *Cod. Theodos*. XII, 12, 1-7. — Cf. Guiraud. *Assemb. prov*. p. 225 et 285.

(2) *Notit. dignit*. Or. I. p. 6-7. — Ramsay. *Historical geogr. of Asia Minor*, p. 392.

(3) *Cod. Theodos*. IX. 38. 9. — Tillemont. *Emper. rom.* V. p. 360 et adn. L.

(4) *Ibid*.

(5) Hierocl. *Synecdem*. 682, 12. — Cf. titulum byzantinum. *Reisen*. II. 77 a.

CONCLUSIO

Nunc superest ut disputationem nostram breviter contrahamus. E communi patriorum deorum cultu, scilicet Apollinis Lycii, Latonae, Artemidis, prima inter lycias civitates societas orta est : celeberrimum antiquitus in tota regione Letoum ad solemnia edenda panegyrimque communiter habendam Lycios attraxit. Paulatim quoque xanthii dynastae sub imperio suo plerasque Lyciae partes redegerunt; secundo autem ante C. n. saeculo, Rhodiorum odium effecit ut solidam inter se amicitiam, faventibus Ptotemaeis, lyciae urbes junxerint. Tunc instauratum illud Λυκίων κοινὸν, quorum instituta, mirabili sapientia justitiaque morata, antiqui recentioresque scriptores laudaverunt. Sub Romanorum tutela, Lyciis libertate frui contigit, sed, Augusti aetate, jam urbes aliae aliis ita invidebant ut peculiares in toto Communi societates inter se finxerint.

Lycia autem in provinciae formam redacta, Lyciorum Commune non adeo perturbatum est ut pristinae civitatis nihil superfuerit. Etenim si Augustis colendis, ut cetera provinciarum Concilia, praecipuam operam dat, tamen proprios magistratus Lycii servaverunt, ut Lyciarcham, Sacerdotem Apollinis Patroi, Archiphylacem, etc.

Intacta, ut videtur, superfuit priscae reipublicae species, adempta tamen provinciali Concilio omni politica auctoritate, ademptoque genticis magistratibus omni imperio militari. Id quidem in Lycia provincia peculiare nobis occurrit, scilicet ut Augustorum cultus indigenis institutis religionique sejunctim

superadditus fuerit, nedum ea aboleverit. Lyciarcha, utpote ἐθνικὸς ἄρχων, summus gentis magistratus superest (1), nec non etiam tum inani στρατηγοῦ titulo nuncupatur. Agonothesiis deorumque indigenarum festis praeest, ludos edit, cum provinciae rectore per epistolas communicat, sed minime cum provinciali Augustorum Flamine, ut alias, confunditur. Dum Lyciarcha ceterique gentici magistratus, id est Sacerdos Patroi Apollinis, Archiphylax, Hypophylax, ab autumno ad autumnum, ut olim, munus explent, eponymus Augustorum Flamen, ab autumnali Concilio creatus, demum calendis januariis munus inaugurat : alteri igitur, utpote meri lycii magistratus, lycium, alter, utpote romanus pontifex, romanum calendarium, observant. Si quidem summus dignitate Lyciarcha apparet, quum tanquam supremus honorum gradus Lyciarchia flamonio protinus superemineat, tamen augustalis Flamen, eponymus factus, revera solus vivere, solus agere videtur. Diis quoque indigenis proprii sacerdotespropriaque solemnia, ut olim, conservantur, sed una cum illis ubique eisdem panegyribus Augusti coluntur.

Inde consequitur ut Romani, in ordinandis provinciis, imperii sui necessitudines variis rerum conditionibus peritissime accommodaverint. Non eadem in Oriente atque in Occidente norma viguit. Ipso in Oriente, diversa pro gentibus rei publicae ratio praevaluit. Alia in Asia provincia atque in Lycia instituta nobis occurrunt. In Asia provincia, ex pluribus gentibus conflata, nonnullarum urbium superbiae inservire ita oportuit, ut similia jura aequique honores eis impertirentur. Ibi multiplex magisque varius rerum status. In Lycia contra, jam antiquitus in Communis formam ordinata, veteris lyciae civitatis speciei formaeque Romani pepercere, ne antiquissimae nec non fidelissimae gentis ingenio memoriaeque offenderent : pristina igitur instituta

(1) ἀπὸ λυκιαρχίας γενόμενον καὶ κοινὸν ἄρχοντα τοῦ λαμπροτάτου Λυκίων ἔθνους (*Reisen.* II. p. 235. N° 183).

servata, tanquam innocuum libertatis monumentum, quo de servitute fallerentur.

Re autem ipsa, nihil nisi fallax propriae civitatis umbra lyciae genti relicta, quum nihil a Concilio provinciali statueretur, nisi a romano praeside prius probatum. Nempe, ut ait Plutarchus (1), provincialium magistratuum capiti proconsulis calces semper institere. Insuper autem omnes suprema domini, qui Romae, potestas imminet, quem deum, judicem, patronum omnipotentem advocare provincialibus solitum, quem testimoniis de sua erga eum fide lacessunt, cujus benevolentiam acerrime affectant.

(1) Plut. *Praec rep. ger.* XVII, 4. (*Moralia*. Didot. II. p 993) : Ἀρχόμενος ἄρχεις, ὑποτεταγμένης πόλεως ἀνθυπάτοις, ἐπιτρόποις Καίσαρος.... δεῖ βλέπειν ἀπὸ τοῦ στρατηγίου πρὸς τὸ βῆμα, καὶ τῷ στεφάνῳ μὴ πολὺ φρόνημα πιστεύειν, ὁρῶντα τοὺς καλτίους ἐπάνω τῆς κεφαλῆς.

APPENDICES

I — Lyciarum rerum epitome chronologica.

Ante C. anni.	
197	Antiochus III Lyciam Ptolemaeo eripit. (Agath. ap. Athen. XII. 527. — Liv. XXIII, 19, 30).
190	Bello contra Antiochum, C. Liv. Salinator et Luc. Aemilius Regillus, romanae classis praefecti, Rhodiorum auxilio, Pataram frustra oppugnant. (Liv. XXXVII, 15-17).
189	Senatus Lyciam Cariamque Rhodiis a X legatis dandam decernit, Telmessum regi Eumeni, praeter castra Telmessium et agri Ptolemaei Telmessii. (Polyb. 21, 14-12; 22. 1. Liv. XXXVII, 56. — De Ptolemaeo Telmessio, cf. *CIG* 4677. — *BCH.* XIII. p. 524. — Bérard *BCH.* XIV, p. 175. XV. p. 561. — Holleaux, *Rev. de philol.* XVIII, p. 119. — Wilhelm. *Götting. gelehrt. Anzeig.* 1898, p. 209).
189	Sub Patara, P. Flavius Labeo Antiochi classem profligat. (Polyb. 22, 27, 32, 23, 30. — Strab. XIV, 3, 4. — Liv. XXXVIII, XXXIX).
188	X legati senatus mandata efficiunt. (Polyb. 22, 16. — Liv. XXXVIII, XXXIX).
	Lycii primum apud legatos, deinde apud rhodiensem contionem de Rhodiorum injuriis expostulant. (Polyb. 23, 3).
187-186	Lycii primum Rhodiis rebellant. (Polyb. 31, 7, 4).
181	Lycii iterum » (id. 25, 5, 13).

177	Xanthiorum ad foedus achaïcum atque ad Senatumque legatio. (Polyb. 26, 5. — Liv. XLI, 6).
	Senatus Rhodum legatos mittendos instituit. (Polyb. 26, 6).
	Rhodii contra legationem Romam mittunt. (*Ib.* 26, 7).
174	Lycii tertium Rhodiis rebellant, adjuvante Eumene. (Polyb., 26, 8 ; 27, 6. — Liv. XLI, 25 ; XLII, 14).
169	Senatus libertatem Lyciis Caribusque restituit. (Liv. XLIV, 15).
167	Senatus Rhodiorum praesidia ex Lycia Cariaque deducenda jubet. (Polyb. 30, 5, 12, — Liv. XLV, 55. — Appian. *Mithr.* 61).
88-84	Bello Mithridatico Lycii Telmessiique cum Rhodiis pro Romanorum partibus stant. (App. *Mithr.* 20, 24, 27).
81	Sylla Lycios liberos amicosque populi romani pronuntiat (Appian. *Mithr.* 61).
81	Murena urbes cibyraticas, Balburam Bubonemque Lyciorum Communi adjicit. (Strab. XIII, p. 631).
78-74	P. Servilius Vatia Isauricus piratarum oppida, Olympum, Phaselin, Corycum oppugnat. (Cic. *Verr.* II, 4. 10, 22, — Strab. XIV. 671).
48-47	Lycii quinque naves Caesari praestant. (*Bel. alex.* 13).
43	Lycii naves Dolabellae praestant, Cassio Brutoque servire abnuunt. (Cic. *ad. fam.* XII, 14, 15. — Appian, *Bell. civ.* IV, 61).
42	Brutus commune Lyciorum agmen profligat, Xanthum evertit, Pataram oppugnat. (Appian. *Bell. civ.* IV, 75-82. — Plutarch. *Brut.* 30-33. — Dio Cass. 47, 34).
41	Antonius Lycios immunes Xanthumque ab integro incoli sinit. (Appian. *Bel. civ.* V. 7).
Post C. n. anni.	
43	Claudius Lyciam cum Pamphylia provinciam romanam sub legato Augusti pro praetore constituendam destinat. (Dio Cass. 60, 17. — Suet. *Claud.* 25).

intra 43-49	Quintus Veranius Philagrus, primus provinciae legatus pro praetore. (*Reisen.* I, p. 62).
51	Paulus apostolus Myram applicat evangeliumque praedicat. (*Act. apost.* XXV. 5).
54-56	Eprius Marcellus provinciae rector. (Waddington. *Fastes de la prov. d'Asie.* N° 96).
57	Lycii Eprium Marcellum frustra repetundarum accusant (Tacit. *Ann.* XIII. 33).
intra 57-69	Imperante Nerone seu Galba, Lycia rursus forsan liberata Pamphyliae-Galatiae adjuncta. (Tacit. *Hist.* II. 9).
74	Vespasianus, Lyciae libertate adempta, Lyciam-Pamphyliam iterum in provinciam componit, sub legato Augusti pro praetore. (Suet. *Vesp.* 8. — Eutrop. VII. 19. — Euseb. *Chron. can.*, p. 159. — Ramsay. *Historical geogr. of Asia Minor*, p. 252).
135	Hadrianus Lyciam-Pamphyliam pro Bithynia Senatui cedit, vel cedendam destinat. (Dio Cass. 99, 14). Nihilominus, imperantibus Hadrianis, Antonino Pio et Marco Aurelio a legatis Augusti pro praetore Lycia regitur, ut ex titulis constat. Anno enim 178, Priscus Licinius Italicus, provinciae rector, legatus pro praetore nuncupatur. (*Eph. epigr.* IV, p. 504).
180-193	Commodo imperante ac postea, Lycia a proconsule regitur (*Reisen.* I. N° 50).
311-312	Lycii Pamphyliique rogationem de Christianis proscribendis imperatoribus Maximino Constantino Licinioque mittunt. (*Arch. epigr. Mitheil. Oester. Ungarn.* 1893, p. 93).
post. 325	Imperante Constantino, Lycia a Pamphylia disjuncta sub praeside. (*Notit. dignit.* Or. I, p. 6. — Ramsay. *Historical geogr. of Asia minor*, p. 392).
392 (Aug. mense)	Theodosius Lycios infames propter Tatiani erga Rufinum offensionem denuntiat. (*Cod. Theod.* IX, 38, 9).
prid. cal. sept. 396	Arcadius Honoriusque infamiam Lyciorum edicto levant. (*Ibid.*)

II. — **Conciliabulorum**, **id est** συμπολιτειῶν, **catalogus**.

1° *Acalissus.* — *Idebessus.* — *Cormeis* (Karabuk).
(*JHS.* XV, p. 120, Nis 4, 5.b.c. — Wad. 1333, 1334. — *Bericht*, p. 12, n° 36).

2° *Aperlae* (Awassari), *Apollonia* (Sidjak), *Simena* (Kekowa), *Isinda* (Belenklü).

(Wad., 1290, 1292, 1297. — *Bericht*, p. 17, n° 56; p. 18, n° 58. — *Reisen*, II, 90, 91, 92. — *BCH*, 1894, XVIII, p. 547).

3° *Cibyra, Balboura, Oenoanda-Termessos minor.*

(Catalogus vicorum cujusque urbis, in titulo : *Bericht*, p. 51, n° 69. — *BCH.* X, p. 219. 3. — 222. 4. — 227. 8. — *Reisen*, II, n° 226).

4° *Cyaneae, Tybenissos* (Tirmissini), *Teimioussa* (Tristomo), *Trysa.*

(Wad., 1303, 1305. — *Bericht*, p. 18. — *Reisen*, II, 16, 107, 110, 113. — Cetera oppida, quorum ruinae, non nomina, supersunt, de Cyaneis pependisse videntur, scilicet : Gellemen, Giaouristan, Kyrsaz, Aschwar, Hoiran, Tüssa. — *Reisen*, II, 10, 32. — Wad., 1288).

5° *Limyra.* (*JHS.* 1895, XV, p. 113, n° 29).

6° *Lydae, Arymaxa.*

Urbes in peninsula Lydatide in decapolin compositas fuisse censuit Bent (*JHS.* 1888, VIII, p. 85). Quae, vereor, sententia orta est a mirabili errore. Tituli enim nonnulli ΤΑΙΣΔΕΚ//////ΠΟΛΕΣΙΝ praebent, quae sic restituenda sunt : ταῖς δὲ κα[τὰ Λυκίαν] πόλεσιν πάσαις. Decapolis igitur ceteraque quae de litterarum rasuris deduxit Bent, pro inanibus habenda sunt. Arymaxa tamen Lydarum vicus fuerunt (*JHS.* X, p. 55, n° 6 ; p. 63, n° 16 ; p. 64, n° 17).

7° *Myra, Andriace, Sura, Trebendae, Istlada* (Aïdle).

Sympolitia a sepulchralibus mulctis, Myraeo aerario solvendis, deducitur (Wad., 1311. — *Reis.* I, 7, 85. II, 80, 82, 114. — *Ber.*, p. 18, n° 59).

8° *Octapolis* (Ptolemæus, V, 3, 20).

9° *Tlos ejusque pagi.*

Pagus Malieus
Pagus Bellerophonteus
» Iobateius
} (Wad., 1244. — *Reis.*, I, p. 120. — *Bericht*, p. 23, n° 13).

10° *Trebenna, Onobara* (*Bericht*, p. 37, n° 47, 48).

11° *Rhodiapolis, Corydalla, Gagae* (Sympolitia ficta a Wad., 1338).

12° *Xanthus ejusque pagi.*

Γλαυκουδῆμος (Et. Byz. *s. v.*). — Δῆμος Ἰοβάτειος (*Iliad.*, VI, 172. — Wad. 1260. — Keil. *Philol.*, V, p. 652). — Δῆμος Τελέφιος (Wad., 1260).

13° *Sidyma, Kalabatia.* (Kalabatia, Sidymae portus : *Reis.*, I, p. 53).

CONSPECTUS

PARS PRIOR.

De publicis Lyciorum rebus antequam Lycia romana provincia facta est.

(a primordiis ad annum C. 43).

PARS ALTERA

De provinciali Lyciorum Communi.

(ab anno Christi 43 ad quintum post Chr. saeculum).

Vidi ac perlegi
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XVII idus jul. ann. MDCCCXCVII,
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus :
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis Rector :
GRÉARD.

Insulis. — E typis Fratrum Le Bigot, 25, viae dictae Nicolas Leblanc.

E TYPIS FRATRUM LE BIGOT.

25, viae quae dicitur Nicolas Leblanc, 25.

INSULIS